An. et vol. CV 1 Februarii 2013 N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KATSINENSIS-ALENSIS

In Nigeria nova conditur dioecesis Katsinensis-Alensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fidem intuentes christifidelium Nigerianorum, libenti animo percepimus postulatum, ad aeternam hominum salutem ac Dominici gregis regimini facilius et efficacius consulendum, ut dioecesis Makurdensis in Nigeria divideretur. Quamobrem, praehabito favorabili voto quorum interest, audita sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Nos de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis quae sequuntur decernimus: a dioecesi Makurdensi seiungimus civiles regiones vulgo dictas « Local Government Areas », id est *Katsina-Ala*, *Logo* et *Ukam*, atque ex ita distracto territorio novam dioecesim constituimus *Katsinensem-Alensem* appellandam, iisdem circumscriptam finibus quibus praefatae civiles regiones ad praesens terminantur.

Huius novae dicionis sedem in urbe vulgo appellata *Katsina-Ala* statuimus ac templum ibidem Deo dicatum in honorem sancti Gerardi Majella ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam hanc dioecesanam communitatem suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Abugensis. Cetera ad normam iuris canonici expediantur.

Ad haec Nostra mandata exsequenda destinamus Venerabilem Fratrem Augustinum Kasujja, Archiepiscopum titulo Caesariensem in Numidia atque Nuntium Apostolicum in Nigeria, omnes necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad memoratam Congregationem authenticum exemplar actus eiusdem peractae exsecutionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.154

II

SANCTI VLADIMIRI MAGNI IN URBE PARISIENSI PRO UCRAINIS RITUS BYZANTINI

Exarchia Apostolica pro fidelibus Ucrainis ritus Byzantini in Gallia commorantibus ad gradum Eparchiae evehitur nomine Sancti Vladimiri Magni in urbe Parisiensi pro Ucrainis ritus Byzantini.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui in beati Petri Sede sumus constituti, attenta sententia Synodi Episcoporum Ecclesiae Graeco-Catholicae Ucrainae Exarchiam Apostolicam

pro fidelibus Ucrainis ritus Byzantini in Gallia commorantibus ad gradum Eparchiae evehendi, perpensa officiali petitione Excellentissimi Domini Archiepiscopi Maioris necnon faventi sententia Conferentiarum Episcoporum ac Legatorum Pontificiorum ad rem vocatorum, audita Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa Apostolica, qua fungimur, potestate memoratam Exarchiam ad gradum Eparchiae evehimus nomine Sancti Vladimiri Magni in urbe Parisiensi pro Ucrainis ritus Byzantini. Cathedralis ecclesia Exarchiae efficitur Eparchialis et residentia Episcopi necnon conclavia Curiae in actuali sede permanent. Mandamus insuper ut omnes sacerdotes in territorio Exarchiae ministerium exercentes ipso facto novae Eparchiae incardinentur itemque seminarii alumni ex eiusdem paroeciis novae circumscriptioni ascribantur. Nova quidem Eparchia statim Apostolicae Sedi subicitur, sed inclusa in contextu Ecclesiae Galliae, et novus Episcopus membrum Conferentiae Episcoporum efficitur.

Quae iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus mittantur.

Hanc denique Apostolicam Constitutionem iugiter ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo decimo tertio, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.295

LITTERAE APOSTOLICAE
MOTU PROPRIO DATAE

I

Quibus commutatur Constitutio Apostolica *Pastor bonus,* simulque competentia de Seminariis a Congregatione de Institutione Catholica ad Congregationem pro Clericis transfertur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ministrorum institutio sacrorum inter praecipuas Concilii Oecumenici Vaticani II Patrum sollicitudines numeratur, qui scripserunt: « Optatam totius Ecclesiae renovationem probe noscens Sancta Synodus a sacerdotum ministerio, Christi spiritu animato, magna ex parte pendere, gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat ».[1] Hoc in contextu can. 232 CIC vindicat Ecclesiae « ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ad ministeria sacra deputantur », quod ex more in Seminariis evenit. Agitur enim de institutione a Concilio Tridentino exoptata, quod decrevit ut in singulis dioecesibus institueretur « Seminarium perpetuum »,[2] per quod Episcopus posset tirones ad sacerdotium « alere et religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere ».[3]

Primum institutum universalis indolis, cuius erat providere constitutioni, regimini et administrationi Seminariorum, « quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime »,[4] fuit *Congregatio Seminariorum*, instituta a Benedicto XIII per Constitutionem *Creditae Nobis*.[5] Progrediente tempore ipsa exstincta est atque Seminaria semper peculiari curae perrexerunt esse Sanctae Sedi per *Sacram Congregationem Concilii* (quae hodie vocatur *Congregatio pro Clericis*) vel etiam per *Sacram Congregationem pro Episcopis et Regularibus*, et ab anno MCMVI tantum per hanc postremam. Sanctus Pius X per Constitutionem Apostolicam *Sapienti consilio*[6] iurisdictionem de Semina-

[1] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, 1.
[2] Sessio XXIII [15 Iulii 1563], can. XVIII.
[3] *Ibid.*
[4] Leo XIII, Ep. *Paternae providaeque* [18 Septembris 1899]: *ASS* 32 [1899-1900], 214.
[5] 9 Maii 1725: *Bullarium Romanum* XI, 2, pp. 409-412.
[6] 29 Iunii 1908: *AAS* 1 [1909], 7-19.

riis reservavit *Sacrae Congregationi Concistoriali*, apud quam peculiare constitutum est officium.[7]

Benedictus XV per Litteras Apostolicas *Seminaria clericorum* Motu proprio datas[8] hoc *Officium pro Seminariis* apud *Sacram Congregationem Concistorialem* erectum cum *Sacra Congregatione de Studiis* coniunxit, et ita novum dicasterium creavit *Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus* appellatum. Summus Pontifex hanc decisionem explicavit eo quod angustiis premebatur ob crescentem numerum negotiorum et ob momentum huiusmodi officii: «Verum cum apud hanc Sacram Congregationem negotiorum moles praeter modum excrevit, et Seminariorum cum maiorem in dies operam postulet, visum est Nobis ad omnem eorum disciplinam moderandam novum aliquod consilium inire».[9]

Novum Dicasterium, id est *Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus* assumpta est in Codicem Iuris Canonici anni MCMXVII in can. 256, et in eundem Codicem clericorum institutio inserta est sub titulo XXI, *De Seminariis*, in IV parte, *De Magisterio ecclesiastico*, in libro III, *De rebus.*

Magni ponderis est extollere quod, cum novus Codex redigeretur, discussum est utrum opportunum esset eandem dispositionem servare, denique tamen opportunius visum est magis universas normas, veluti prooemium, praeponere tractatui de clericis. Quapropter normae et dispositiones de Seminariis insertae sunt in librum II, partem I, titulum III, cap. I, cum congrua denominatione «De clericorum institutione».[10] Haec nova collocatio sine dubio magni est momenti eiusque titulus «De clericorum institutione» singulariter aptatus, quoniam hoc modo amplectitur institutionem integram futuris ministris Domini tradendam: nempe institutionem non solum doctrinalem, sed etiam humanam, spiritualem, asceticam, liturgicam et pastoralem.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II iterum memorat: «Seminaria Maiora ad sacerdotalem conformationem necessaria sunt»[11] et formatio tradenda in Seminario maiore est specifice sacerdotalis, ordinata videlicet spirituali et pastorali sensu ad sacrum ministerium: «Alumnorum institutio

[7] Cfr *AAS* 1 [1909] 9-10, 2°, 3.

[8] 4 Novembris 1915: *AAS* 7 [1915], 493-495.

[9] *AAS* 7 [1915], 494.

[10] Cfr cann. 232-264 *CIC*.

[11] Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius*, 4.

eo tendere debet ut ad exemplar Domini Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, veri animarum pastores ipsi formentur ».[12]

Hoc sensu: « Iuvenes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem convenientem et ad officia propria instituantur in seminario maiore per totum formationis tempus, aut, si adiuncta de iudicio Episcopi dioecesani id postulent, per quattuor saltem annos ».[13]

Seminaria igitur, secundum Concilium Oecumenicum Vaticanum II et Codicem Iuris Canonici anni MCMLXXXIII, includuntur in ambitum « Clericorum institutionis » quae, ut sit vera et efficax, institutionem permanentem cum formatione in seminario consolidare debet, quandoquidem « perennis institutio continuatio est illius quae in Seminario efficitur », sicut Veneratus Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II in Adhortatione Apostolica *Pastores dabo vobis*[14] asserit: « Perennis sacerdotum institutio... continuatio est naturalis atque omnino necessaria illius cultus, qui ad presbyteri personam spectat, quique in Seminario... incohavit et ibidem incrementum cepit una cum formativa institutione Ordinationis respectu. Magni momenti est animadvertere servareque intrinsecum nexum qui exstat inter utramque institutionem, ante scilicet et post Ordinationem. Si namque inconstantia esset immo discrepantia has duas inter rationes institutionis gravia consectaria statim evenirent, quae ad pastoralem actionem respicerent atque fraternam communionem inter presbyteros, inter illos nominatim qui aetate distinguuntur. Perennis autem institutio, iteratio non est institutionis, quae in Seminario acquiritur, quae deinde recognoscitur et augetur, novis additis explicativis argumentis. Ipsa enim novis evolvitur rebus potissimumque rationibus quodammodo novis, veluti nempe unum quiddam, quod progrediens — radices in seminaristica institutione ponens — accommodationem quandam expostulat, hodiernae aetati conformationem et immutationem, absque tamen cessatione vel intermissione. At contra inde a Seminario maiore permanentem institutionem parare oportet, et animum studiumque futurorum presbyterorum eidem accommodare, per ipsius necessitatis demonstrationem, utilitatis et spiritus, condicionibus perficiendae rei inductis ».[15]

Idcirco opportunum ducimus Congregationi pro Clericis assignare promotionem et regimen omnium quae pertinent ad formationem, vitam et mini-

[12] *Ibid.*
[13] Can. 235 § 1 *CIC.*
[14] 25 Martii 1992.
[15] N. 71: *AAS* 84 [1992], 782-783.

sterium presbyterorum et diaconorum: inde a pastorali vocatione et candidatorum ad sacros Ordines selectione, inclusa eorum formatione humana, spirituali, doctrinali et pastorali in seminariis, et in peculiaribus domibus pro diaconis permanentibus,[16] usque ad eorum institutionem perennem, inclusis vitae condicionibus et modis exercendi ministerium eorumque praevidentia socialique assistentia.

Sub lumine igitur harum considerationum, examinatis accurate omnibus rebus atque sententia rogata illorum qui experti sunt, statuimus et decernimus quae sequuntur:

Art. 1

« Congregatio de Institutione Catholica (de Seminariis atque Studiorum Institutis) » nomen sumit « Congregationis de Institutione Catholica (de Studiorum Institutis)».

Art. 2

Art. 112 Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus* sequenti substituitur textu: « *Congregatio exprimit et exercet Sedis Apostolicae sollicitudinem circa promotionem et ordinationem institutionis catholicae* ».

Art. 3

Articulus 113 Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus* abrogatur.

Art. 4

Art. 93 Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus* sequenti substituitur textu:

« *§ 1. Congregatio, servato iure Episcoporum eorumque Conferentiarum, eas curat materias, quae presbyteros et diaconos Cleri saecularis respiciunt tum quoad personas, tum quoad pastorale ministerium, tum quoad res necessarias ad exercendum eiusmodi ministerium, atque in his omnibus quaestionibus opportunum praebet Episcopis auxilium.*

§ 2. Congregatio exprimit et exercet Sedis Apostolicae sollicitudinem circa formationem illorum qui ad sacros Ordines vocantur ».

[16] Cfr can. 236 § 1° *CIC*.

ART. 5

Textus art. 94 Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus* sequenti substituitur textu:

« *§ 1. Adest Episcopis ut in earum Ecclesiis maxima diligentia vocationes excolantur ad sacra ministeria, atque in seminariis, instituendis et dirigendis secundum iuris normam, alumni aeque solida formatione tum humana et spirituali, tum doctrinali et pastorali educentur.*

§ 2. Attente vigilat ut convictus et regimen seminariorum plene postulatis respondeant educationis sacerdotalis atque moderatores et docentes conferant, quam maxime potest, vitae exemplo et recta doctrina, ad formationem personae sacrorum ministrorum.

§ 3. Competens est, praeterea, ad seminaria interdioecesana erigenda et eorum statuta approbanda ».

ART. 6

Ad Congregationem de Institutione Catholica spectat curricula academica philosophiae et theologiae ordinare, audita Congregatone pro Clericis, iuxta cuiusque competentiam.

ART. 7

Pontificium Opus Vocationum Sacerdotalium (*Motu proprio* PII XII, die 4 Novembris anno 1941) ad Congregationem pro Clericis transfertur.

ART. 8

Materiae causa, Praefectus Congregationis pro Clericis ex officio praeest Commissioni interdicasteriali permanenti « De formatione candidatorum ad Sacros Ordines » secundum normam Constitutionis Apostolicae *Pastor bonus*, art. 21, § 2, ad quam pertinet etiam Secretarius.

ART. 9

Commissio interdicasterialis « De aequa sacerdotum in mundo distributione » exstinguitur.

ART. 10

Die quo hae normae vim sortiuntur, processus qui apud Congregationem de Institutione Catholica pendent de rebus huc ex competentia translatis, transmittantur ad Congregationem pro Clericis et ab ipsa definientur.

Omnia quae in his Litteris Apostolicis in forma *Motu proprio* deliberavimus, ordinamus ut in omnibus earum partibus serventur, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus, etiamsi dignis peculiaris mentionis, et decernimus ut per divulgationem promulgentur in actis diurnis « L'Osservatore Romano », et vim XV post dies quam promulgata sunt obtineant.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Ianuarii, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.327

II

Quibus, mutata Constitutione Apostolica *Pastor bonus*, competentia de Catechesi ex Congregatione pro Clericis ad Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione Promovenda transfertur.

BENEDICTUS PP. XVI

Fides per doctrinam sustineatur oportet, quae credentium mentem corque illuminare valeat. Peculiaris haec aetas, quam agimus quaeque ceteroqui maximo in fidei discrimine versatur, talem secum fert conscientiam assumendam, ut magnis exspectationibus respondeatur, quae in credentium cordibus oriuntur ad novas interrogationes exsolvendas, quae ad mundum Ecclesiamque diriguntur. Fidei igitur intellectus usque postulat ut, quae in ipsa continentur, novis verbis exprimantur, quae spem in credentibus praesentem omnibus poscentibus rationem de ea praebere valeant.[1]

Universalis Ecclesiae peculiare est munus vivum efficacemque Christi nuntium servare, etiam per enodatam doctrinam, quae fidem in mysterio Incarnationis Filii Dei, qui pro nobis homo est factus, mortuus est et resurrexit pro nostra salute, alere debet. Id ipsa formis aptisque instrumentis efficere strenue debet, ut quotquot Evangelii nuntium accipiunt et credunt, ad novam vitam per baptismum nascantur.

Quinquagesimo vertente anno ex quo Concilium Oecumenicum Vaticanum II incohatum est, dum Ecclesia de divitiis meditatur doctrinae illis in documentis contentae atque novas formas ad eam efficiendam reperit, magnum iter comprobari potest, quod his decenniis pro catechesi factum est. Quod autem iter post Concilium peractum a gravibus quoque erroribus de methodo deque materia vacuum non fuit, quae effecerunt ut alta meditatio ageretur ac nonnulla documenta postconciliaria conficerentur, unde in catechesis provincia novae divitiae exsisterent.

Venerabilis Dei Servus Paulus VI in Adhortatione Apostolica *Evangelii nuntiandi* sic scripsit: «Alia ratio, quam evangelizatio nullo modo neglegere debet, catechetica institutio est. Ex religionis enim doctrina ordinatim tradita oportet mentes in primis infantium et adulescentium comprehendat partes principales, vivum thesaurum veritatis, quam Deus nobiscum commu-

[1] Cfr *1 Pe* 3, 15.

nicare voluit quamque Ecclesia per longum suae historiae cursum plenius usque declarare studuit ».[2]

Simili modo beatus Ioannes Paulus II, cum Synodum Episcoporum, catechesi dicatam, ad finem adduceret, scripsit: « Catechesis, in toto evangelizationis opere, eo nititur, ut sit gradus instituendi et maturescendi, id est tempus, quo christianus, cum per fidem Iesum Christum ut solum Dominum exceperit atque sincera cordis conversione ei totus adhaeserit, hunc Iesum, cui se tradidit, melius cognoscere studet ».[3]

Ut vicesimam anniversariam memoriam Concilii Oecumenici Vaticani II finiti celebraret, beatus Noster Decessor aliam Synodum Episcoporum indixit atque, ea vertente, Synodales Patres flagrans desiderium patefecerunt ut Catechismus conficeretur, ad universali Ecclesiae doctrinam ac rem moralem, summatim compositeque dispositas secundum Concilii praescripta, tribuendas. Per Constitutionem Apostolicam *Fidei depositum*, die XI mensis Octobris anno MCMXCII, beatus Ioannes Paulus II *Catechismum Catholicae Ecclesiae* promulgavit atque Nos Ipsi *Motu proprio* die XXVIII mensis Iunii anno MMV *Compendium Catechismi Catholicae Ecclesiae* comprobavimus et promulgavimus.

Oblivisci non possumus alia itinera magni ponderis ad naturam, methodum ac catechesis fines in evangelizationis processu definienda. Anno MCMLXXI Sacra Congregatio pro Clericis *Directorium catechisticum generale* edidit, quod primum in variis Ecclesiis localibus iter factum summatim complecteretur, quae interea suum catechesis cursum compleverant. Post *Catechismum Catholicae Ecclesiae* evulgatum, eadem Congregatio pro Clericis, anno MCMXCVII, *Directorium generale pro catechesi* foras emisit, Ecclesiae desiderium confirmans primum catechesis iter ex more ad conversionem obtinendam dicari debere.[4]

Conciliaris doctrina ac subsequens Magisterium, hac de re cum magnam Ecclesiae traditionem interpretarentur, strictius usque catechesim cum evangelizationis processu coniunxerunt. Catechesis ideo insigne iter in cotidiana Ecclesiae vita secum fert, ut impense efficaciterque annuntietur ac transmittatur Dei Verbum, ita ut ipsum ad omnes perveniat, atque credentes in Christo instituantur atque educentur, ad eius Corpus, quod est Ecclesia, constituendum.[5]

[2] N. 44: *AAS* 68 [1976], 34.
[3] Adhort. ap. *Catechesi tradendae*, 20: *AAS* 71 [1979], 1294.
[4] Cfr n. 62.
[5] Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 4.

Per Litteras Apostolicas Motu proprio datas *Ubicumque et semper*, die XXI mensis Septembris anno MMX, Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione Promovenda condidimus, quod sua proposita persequeretur, «tum meditationem de novae evangelizationis argumentis concitans, tum eligens et promovens formas instrumentaque ad eandem efficiendam apta».[6] Peculiarem in modum novo Dicasterio tribuere munus voluimus «Catechismi Catholicae Ecclesiae usum promovendi, qui essentialiter pleneque summam fidei complectitur pro nostrae aetatis hominibus».[7]

His perpensis rebus, aequum putamus hoc Dicasterium inter institutionis munera in se recipere officium vigilandi, Summi Pontificis nomine, super evangelizationis instrumento, quod Ecclesiae est catechesis, necnon super doctrina catechetica variis in formis, ut pastoralis actio compositius efficaciusque efficiatur. Novum hoc Pontificium Consilium Ecclesiis particularibus Episcopisque dioecesanis hac de re congruum subsidium praebet.

Quapropter, sententiam concordem excipientes Praepositorum Dicasteriis quorum interest, statuimus ut ad Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione Promovenda munia transferrentur quae de catechesi Congregationi pro Clericis, die XXVIII mensis Iunii anno MCMLXXXVIII, commiserat Constitutio apostolica *Pastor bonus*, eadem quidem iurisdictione quam memorata Congregatio eadem in re exercebat quaeque in iure canonico requiritur.

Itaque superiorum animadversionum sub lumine, cunctis perpensis diligenter rebus itemque consiliis a peritis expetitis, statuimus et decernimus quae sequuntur:

Art. 1

Articulus 94 Constitutionis apostolicae *Pastor bonus* aboletur atque munus, quod de re catechetica hucusque gerebat Congregatio pro Clericis, totum ad Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione Promovenda transfertur.

Art. 2

Ad Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione Promovenda pariter transfertur «Consilium Internationale de Catechesi», quod per litteras, die VII mensis Iunii anno MCMLXXIII datas, condidit Venerabilis Dei Servus

[6] Art. 1 § 2: *AAS* 102 [2010], 791.
[7] Art. 3, 5°: *AAS* 102 [2010], 792.

Paulus VI. Huius Consilii munus Praesidis gerit Praeses Pontificii Consilii quodque ex officio participabit eiusdem Dicasterii Secretarius.

ART. 3

Propter competentias per praesentes Litteras Apostolicas *Motu proprio* datas sibi commissas, Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione Promovenda:

§ 1. Institutionis religiosae fidelium cuiusque aetatis et condicionis promotionem curat;

§ 2. Facultatem habet normas ferendi opportunas, ut catechesis doctrina ad constantem Ecclesiae traditionem convenienter tradatur;

§ 3. Officium habet vigilandi, ut catechetica institutio recte agatur, methodos et proposita servans ad praecepta Ecclesiae Magisterii;

§ 4. Praescriptam comprobationem Apostolicae Sedis de catechismis aliisque scriptis concedit, quae ad institutionem catecheticam attinent, consentiente Congregatione pro Doctrina Fidei;

§ 5. Catechistica Officia sustinet intra Conferentias Episcoporum, earum incepta quae ad religiosam institutionem attinent quaeque internationalem naturam habet, quorum acta digerit et, ut causa fert, necessarium adiumentum praebet.

Quae per Litteras Apostolicas *Motu proprio* datas deliberavimus, nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus quibusvis contrariis rebus, etiam peculiari mentione dignis, ac decernimus ut ipsae per editionem in actis diurnis «L'Osservatore Romano» promulgentur atque vigere incipient XV post dies quam promulgatae sunt.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Ianuarii, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.328

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Angelo Paoli, O. Carm., Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt* 25, 40).

In narratione vitae Domini nostri Iesu Christi, caritas erga minimos semper permanet, quod perspicue ab evangelistis significatur. Illi saepe eius memorant praecepta: qui accipit Iesum, non potest non accipere pueros, aegrotos, pauperes; illos accipere idem est ac Eum accipere. Venerabilis Servus Dei Angelus Paoli, in saeculo Franciscus, presbyter professus Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, sua vita amorem incarnavit erga Dominum atque eius vultum recognovit maxime in egentibus, ita amorem contemplationis cum amore misericordiae concilians.

Venerabilis Servus Dei Angelus Paoli in loco *Argigliano*, parvo videlicet vico Lunensis Agri, inter Liguriam et Tusciam, die I mensis Septembris anno MDCXLII est ortus. Circa duodeviginti annos natus, vocationem ad sacerdotalem vitam praesensit. Episcopus Sarzanensis vocationem eius agnoscens, primos duos ordines minores contulit ei. Agitur de initio itineris quod, labente tempore, clarius semper fiet. Iam prima in illa parte aetatis duo praecipue indicia eius vitae spiritalis animadvertuntur: necessitas orandi et alte cum Domino se coniungendi nec non sollicitudo pauperes iuvandi. Maturatione et discrimine ductus est ad ingressum in conventum Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo in *Fivizzano*, in Lunensi Agro, et illinc in urbem Senam, ad novitiatum. Die XVIII mensis Decembris anno MDCLXI vota perpetua nuncupavit sicut sodalis memorati Ordinis atque missus est ut academicam formationem apud Studia Generalia sui Ordinis, Pisae et Florentiae, adimpleret, priusquam presbyteratus ordine anno MDCLXVII augeretur. Anno MDCLXXV magister nominatus est novitiorum, quos de prece contemplativa docet deque navitate misericordiae, sicut signis carmelitanae vocationis. A superioribus suis aestimatus et a populo, in multos deinceps Tusciae conventus missus est, usque ad annum MDCLXXXVII, quo Prior Generalis destinavit eum ad communitatem sancti Martini ad Montes, Romae.

Moderator generalis consilium sibi proposuit communitatem quandam constituendi ex optimis religiosis totius Italiae. Venerabilis Servus Dei Angelus Paoli iam firma sanctitatis fruebatur fama. Novitiorum nominatus magister, paedagogicam suam consolidavit methodum: orationem et misericordiam. Ita, prope Sanctum Martinum, apud valetudinarium sancti Ioannis in Laterano, spargere potuit abundantiam amoris, quem Dominus effundit in cor eius. Sed etiam pauperes Romae per hunc humilem fratrem Carmelitanum noverunt vim Divinae Providentiae: in cotidiana panis distributione, saepe coram stupefactis inspicientibus fratribus, paucae panum cistae sufficiunt ad complures satiandos pauperes. Neque obliviscitur in carcere detentos qui praeter acerbitatem condicionis saepe extremam patiuntur paupertatem. Cum rigore servandae Regulae altam spiritalem coniungit vitam, cuius cardo exstitit devotio erga Eucharistiam, Crucem et Mariam Sanctissimam. Ita crescit in eo sapientia ut sicut confessarius et spiritalis moderator quaeratur, multiplicium donorum Spiritus Sancti plenus, quibus potentium et humilium aestimationem comparavit. Terrestris eius vita ad finem vertit, atque die XX mensis Ianuarii anno MDCCXX, postquam omnia tradiderat Domino, quem in pauperibus et dolentibus vidit, in meritum ingressus est aeternumque gaudium.

Augescens constanter sanctitatis fama apud Populum Dei effecit ut iam anno MDCCXXIII incoharentur Processus canonici beatificationi et canonizationi prospicientes, ita ut anno MDCCLXXXI Summus Pontifex Pius VI, Praedecessor Noster rec. mem., agnoverit Venerabilem Servum Dei Angelum Paoli, O. Carm., virtutes heroicum in modum exercuisse.

Servatis de iure servandis, Nosmet Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut die III mensis Iulii anno MMIX Decretum *super miro* promulgaret. Decrevimus deinde ut Beatificationis ritus die XXV mensis Aprilis anno MMX Romae perageretur.

Hodie igitur Romae de mandato Nostro Venerabilis Frater Angelus Amato, S.D.B., Archiepiscopus titulo Silensis atque Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servum Dei Angelum Paoli, O. Carm.:

Nos, vota Fratris Nostri Augustini S.R.E. Cardinalis Vallini, Nostri Vicarii Generalis pro Romana dioecesi, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem faci-

mus ut Venerabilis Servus Dei Angelus Paoli, presbyter Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, qui, e Sanctissimae Eucharistiae celebratione adorationeque vim hauriens, pauperibus, aegrotis et captivis iuvandis vitam suam impendit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima Ianuarii, qua ad caelum natus est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clarus hic vir diligentem ostendit spiritalem progressum atque insignia dedit pietatis testimonia. Dum illius conspicimus cursum, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 134.307

II

Venerabili Dei Servae Mariae Clarae a Iesu Infante Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Videte, hic est populus meus! Quam patior quod eum salvare nequeam! » (*II Diarium*, XXXIII).

Cum Venerabilis Serva Dei Maria Clara a Iesu Infante animi commotione plurimos videret pauperes macie confectos et algentes ob inclementiam hiemalis temporis in Lusitania, non potuit quin haec verba proferret. Suo quippe corde necessitate amoris afflicto, ex illo instanti nihil in animum venit nisi ut dolores assumeret sub munimento caritatis. A Spirito divino est inspirata, ob cuius afflatum totam per vitam indefatigabilis permansit.

Dei Famula nata est die XV mensis Iunii anno MDCCCXLIII in pago *Quinta do Bosque*, Amadorae in Lusitania, ex nobili, pia et fideli familia. Die altero mensis Septembris anno MDCCCXLIII in baptismate nomina accepit Libânia Carmelitis Galvão Mexia de Moura Telles e Albuquerque. Christiano parentum exemplo, Nuno Tomás de Mascarenhas Galvão Mexia de Moura Telles e Albuquerque et Domina Maria da Purifição de Sá Carneiro Duarte Ferreira, suffulta, ex limpidissimo forte Evangelii sucum exhausit necnon suavem bonitatis odorem percepit. Amore circumamicta et sanis principiis doctrinae catholicae instructa, felicem gessit infantiam. Adulescentia autem eius acerbo est lacerata dolore ob praematuram mortem utriusque parentis, a quibus humanas dotes acquisivit et erga proximum amorem didicit. Quinque autem annis cum religiosis Sancti Vincentii de Paul morata est, ex quibus sine condicione deditionis signum obtinuit.

Ad vitam consecratam proclivis, praesertim per Operum Misericordiae nuntium, servitio Dei totam se dicavit, speciali modo pauperibus, « suo populo », subveniens. Simul cum Patre Raimundo Beirão, qui eam incitavit et direxit, die III mensis Maii anno MDCCCLXXI condidit Congregationem Sororum Franciscalium Hospitalariarum ab Immaculata Conceptione. Brevi tempore, propter abundantiam vocationum, haec Congregatio multis operibus floruit, quae hodie usque in Angoliam, Indiam, Guineam et Promontorium Viride extenduntur, ubi filiae Congregationis, semitas fundatricis sequentes, de indigentioribus curam adhibent.

Amorem suum cunctos in patientes effundebat, omni adempta discriminatione. Praecipue amplectebatur aegrotantes, senes et infantes relictos. Cuilibet necessitate obviavit, quam ob causam caritas et deditio eius omnibus sunt cognitae.

Opera apostolica oratione, consilio et abnegatione nutriebat. Omnibus in adiunctis, immensam liberalitatem necnon constantem promptumque animum in bonum omnium hominum ad effectum perduxit.

Die I mensis Decembris anno MDCCCXCIX, Venerabilis Serva Dei Maria Clara a Iesu Infante obdormivit in Domino, aetatis suae LVI. Illa rexit Congregationem a se fundatam per annos XXVIII, periodum scilicet qua Lusitania ingentes politicas eversiones et leges adversantes Evangelizationi Ecclesiae pati debuit.

Crescente vero post mortem sanctitatis fama, Inquisitio dioecesana Causae Beatificationis die XVIII mensis Decembris anno MCMXCV apud Curiam Lisbonensem agi coepta est, cuius validitatem Congregatio de Causis Sanctorum die VI mensis Novembris anno MCMXCVIII per Decretum recognovit. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum peractus est de virtutibus heroum more actis, felici cum exitu, die I mensis Februarii anno MMVIII, quam sententiam agnoverunt Purpurati Patres et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die VII mensis Octobris anno MMVIII. Die VI mensis Decembris anno MMVIII, Nos Ipsi mandavimus ut super heroicis Servae Dei virtutibus Decretum a Congregatione pro Causis Sanctorum conscriberetur.

Beatificationis respectu, mira sanatio Dominae Georginae Troncoso Monteagudo, quae cancro piodermo XXXIV annos laboraverat, asserta intercessionique eiusdem Venerabilis Servae Dei Mariae Clarae a Iesu Infante tributa, iudicio subiecta est. Quam sanationem Consilium Medicum in sessione diei XIV mensis Ianuarii anno MMX secundum scientiam medicam inexplicabilem fuisse edixit. Die XV mensis Iunii anno MMX, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, posito dubio an de miraculo per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Clarae a Iesu Infante divinitus patrato constaret, responsum affirmativum protulit, cuius sententiam Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione die VII mensis Decembris eiusdem anni congregati, confirmarunt. Denique Nos Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum praecepimus ut Decretum de praedicta mira sanatione die X mensis Decembris anno MMX vulgaret. Quocirca ritum beatificationis peragendum censuimus in urbe Lisbonensi die XXI mensis Maii anno MMXI.

Hodie igitur Lisbonensi in urbe, de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Card. Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Claram a Iesu Infante, in saeculo Libânia Carmelitis Galvão Mexia de Moura Telles e Albuquerque, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Venerabilis Fratris Nostri Iosephi S.R.E. Cardinalis da Cruz Policarpo, Patriarchae Ecclesiae Lisbonensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Clara a Iesu Infante, in saeculo Libânia Carmelitis Galvão Mexia de Moura Telles e Albuquerque, Fundatrix Congregationis Franciscalium Hospitalariarum ab Immaculata Conceptione, humili animi fortitudine caritateque evangelica imbuta, suavis misericordiae Dei testis, praesertim erga patientes, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die prima Decembris, cum ad caelum pervenit, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Cum haec mulier, dictis factisque Iesu impulsa, alacriorem in dies exercitationem amoris erga proximos mirabiliter demonstraverit, Nos cupimus ut quam maxime eius praeclarum exemplum incitamentum conferat christifidelibus ad fidem in Deum alendam caritatemque proximorum fovendam. Exoptamus quoque ut salutifera dona Domini et Evangelii beneficia illi affatim adipiscantur eiusdem suffulti praesidio.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die decimo tertio mensis Maii, anno Domini bis millesimo undecimo, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis

THARSICIUS card. BERTONE

Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 169.139

III

Venerabili Dei Servae Margaritae Rutan caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Me servant ut moriar».

Sic dixit Venerabilis Dei Serva Margarita Rutan cum exspectaret ut propter fidem in Christum necaretur. Debilis haec et exilis soror Ecclesiae persecutorum illecebris minisque firmiter restitit, Gallico motu saeviente, atque summa fortitudine Divino Sponso usque ad sanguinis effusionem fidelis mansit.

Venerabilis Dei Serva Margarita Rutan Metis in Francogallia die XXIII mensis Aprilis anno MDCCXXXVI orta est. Circiter XVIII annos nata ardenter suam vitam Domino devovere cupivit, sed ante quam Societatem Filiarum Caritatis ingrederetur, exspectare debuit usque dum XXI annum compleret. Tunc pater sivit ut Margarita valetudinarium sancti Nicolai Metae ingrederetur. Postea Lutetiam Parisiorum concessit ad principem Domum Filiarum Caritatis, ut suam institutionem perficeret, pauperibus secundum sancti Vincentii de Paul mentem inserviens. Posthac ad varia Francogalliae valetudinaria missa est, ubi suam erga Dominum, qui in aegrotis dolentibusque adest, consecrationem mirabiliter vixit. In illis locis divinae caritatis fragrantiam effudit, cum aegrotis omnium ordinum iuvandis sese continenter dicaret. Sed in valetudinario Aquae Augustae, quod non multum aberat a pago *Pouy*, ubi natus erat sanctus Vincentius, eam Dominus opperiebatur, ut eius vitam martyrii palma coronaret. Episcopus qui valetudinarium laxandum curabat, alias Filias Caritatis postulavit et Venerabilis Dei Serva Margarita Rutan, quae tunc XLIV annum agebat, multa in vitae religiosae experientia innitens, hic perquam liberaliter suum valetudinariae artis usum necnon misericordem amorem effudit, administratorum, aegrotorum omnisque populi Aquae Augustae admirationem sibi conciliavit. In Francogallia tamen rerum improvisa eversio ingruebat et socialis politicaque condicio in peius usque mutabatur, praesertim in sacerdotes ac sorores religiosas. Die III mensis Octobris anno MDCCXCIII omnes sorores, quae in valetudinariis vel scholis, famulabantur alterutrum eligere sunt coactae: aut iusiurandum in novum status ordinem Deo Ecclesiaeque infensum nuncupare aut opus amittere. Filiae Caritatis valetudinarii Aquae Augustae fidelitatis iusiurandum in Civitatem, quae

christianos aversabatur, dare noluerunt. Soror Margarita insimulata est eam corrumpere et tardare sua civilis studii negligentia seditionarios reique publicae studiosos militum animos, qui eius in valetudinario curabantur. Seditionarius Comitatus accusationes veras putavit, qui ipsam patriae atque rerum eversionis principiis inimicam declararunt. Capitis tandem est arcessita. Ludibrii causa cum Ioanne Eutropio Lannelongue presbytero, etiam morte damnato, ligata, die IX mensis Aprilis anno MDCCXCIV patibuli supplicio affecta est. Falsae accusationes, processus ac fides Ecclesiaque illusa sororis Margaritae animum non fregerunt, quae ad mortem ivit hymnum Magnificat cantans suamque totam Divino Sponso adhaesionem testans.

Continuata martyrii fama Venerabilis Dei Servae effecit ut Episcopus Aturensis et Aquae Augustae Processum Informativum institueret, qui annis MCMVII-MCMVIII effectus est. Postea annis MCMXVI-MCMXXI Processus Apostolicus secutus est et exinde dioecesana Inquisitio annis MCMXCV-MCMXCVII est acta. Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum diei XVII mensis Octobris anno MCMXCVIII iuridicam eius validitatem agnovit. Theologi Consultores, in Congressione Peculiari die XVII mensis Aprilis coadunati, martyrio Venerabilis Dei Servae sunt suffragati atque eadem fuit sententia Patrum Cardinalium et Episcoporum in Sessione Ordinaria die I mensis Iunii anno MMX coadunatorum. Nos itaque Ipso die I mensis Iulii anno MMX facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum super martyrio ederet Decretum atque statuimus ut beatificationis ritus Aquae Augustae die XIX mensis Iunii anno MMXI celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Margaritam Rutan adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Philippi Ioannis Ludovici Breton, Episcopi Aturensis et Aquae Augustae, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Margarita Rutan, virgo et martyr, sodalis Congregationis Sororum Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul, quae vitam dicavit pauperum et aegrotantium ministerio, ac denique suum sanguinem pro Christo effudit, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima sexta Iunii, qua in caelum est nata, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Iunii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 194.522

HOMILIAE

I

In Sollemnitate Epiphaniae Domini.*

Cari fratelli e sorelle!

Per la Chiesa credente ed orante, i Magi d'Oriente che, sotto la guida della stella, hanno trovato la via verso il presepe di Betlemme sono solo l'inizio di una grande processione che pervade la storia. Per questo, la liturgia legge il Vangelo che parla del cammino dei Magi insieme con le splendide visioni profetiche di *Isaia* 60 e del *Salmo* 72, che illustrano con immagini audaci il pellegrinaggio dei popoli verso Gerusalemme. Come i pastori che, quali primi ospiti presso il Bimbo neonato giacente nella mangiatoia, personificano i poveri d'Israele e, in genere, le anime umili che interiormente vivono molto vicino a Gesù, così gli uomini provenienti dall'Oriente personificano il mondo dei popoli, la Chiesa dei gentili — gli uomini che attraverso tutti i secoli si incamminano verso il Bambino di Betlemme, onorano in Lui il Figlio di Dio e si prostrano davanti a Lui. La Chiesa chiama questa festa «Epifania» — l'apparizione, la comparsa del Divino. Se guardiamo il fatto che, fin da quell'inizio, uomini di ogni provenienza, di tutti i Continenti, di tutte le diverse culture e tutti i diversi modi di pensiero e di vita sono stati e sono in cammino verso Cristo, possiamo dire veramente che questo pellegrinaggio e questo incontro con Dio nella figura del Bambino è un'Epifania della bontà di Dio e del suo amore per gli uomini.[1]

Seguendo una tradizione iniziata dal Beato Papa Giovanni Paolo II, celebriamo la festa dell'Epifania anche quale giorno dell'Ordinazione episcopale per quattro sacerdoti che d'ora in poi, in funzioni diverse, collaboreranno al Ministero del Papa per l'unità dell'unica Chiesa di Gesù Cristo nella pluralità delle Chiese particolari. Il nesso tra questa Ordinazione episcopale e il tema del pellegrinaggio dei popoli verso Gesù Cristo è evidente. Il Vescovo ha il compito non solo di camminare in questo pellegrinaggio insieme con gli altri, ma di precedere e di indicare la strada. Vorrei, però, in questa liturgia, riflettere con voi ancora su una domanda più concreta. In base alla storia

* Die 6 Ianuarii 2013.

[1] Cfr *Tt* 3, 4.

raccontata da Matteo possiamo sicuramente farci una certa idea di quale tipo di uomini debbano essere stati coloro che, in seguito al segno della stella, si sono incamminati per trovare quel Re che, non soltanto per Israele, ma per l'umanità intera avrebbe fondato una nuova specie di regalità. Che tipo di uomini, dunque, erano costoro? E domandiamoci anche se, malgrado la differenza dei tempi e dei compiti, a partire da loro si possa intravedere qualcosa su che cosa sia il Vescovo e su come egli debba adempiere il suo compito.

Gli uomini che allora partirono verso l'ignoto erano, in ogni caso, uomini dal cuore inquieto. Uomini spinti dalla ricerca inquieta di Dio e della salvezza del mondo. Uomini in attesa, che non si accontentavano del loro reddito assicurato e della loro posizione sociale forse considerevole. Erano alla ricerca della realtà più grande. Erano forse uomini dotti che avevano una grande conoscenza degli astri e probabilmente disponevano anche di una formazione filosofica. Ma non volevano soltanto sapere tante cose. Volevano sapere soprattutto la cosa essenziale. Volevano sapere come si possa riuscire ad essere persona umana. E per questo volevano sapere se Dio esista, dove e come Egli sia. Se Egli si curi di noi e come noi possiamo incontrarlo. Volevano non soltanto sapere. Volevano riconoscere la verità su di noi, e su Dio e il mondo. Il loro pellegrinaggio esteriore era espressione del loro essere interiormente in cammino, dell'interiore pellegrinaggio del loro cuore. Erano uomini che cercavano Dio e, in definitiva, erano in cammino verso di Lui. Erano ricercatori di Dio.

Ma con ciò giungiamo alla domanda: come dev'essere un uomo a cui si impongono le mani per l'Ordinazione episcopale nella Chiesa di Gesù Cristo? Possiamo dire: egli deve soprattutto essere un uomo il cui interesse è rivolto verso Dio, perché solo allora egli si interessa veramente anche degli uomini. Potremmo dirlo anche inversamente: un Vescovo dev'essere un uomo a cui gli uomini stanno a cuore, che è toccato dalle vicende degli uomini. Dev'essere un uomo per gli altri. Ma può esserlo veramente soltanto se è un uomo conquistato da Dio. Se per lui l'inquietudine verso Dio è diventata un'inquietudine per la sua creatura, l'uomo. Come i Magi d'Oriente, anche un Vescovo non dev'essere uno che esercita solamente il suo mestiere e non vuole altro. No, egli dev'essere preso dall'inquietudine di Dio per gli uomini. Deve, per così dire, pensare e sentire insieme con Dio. Non è solo l'uomo ad avere in sé l'inquietudine costitutiva verso Dio, ma questa inquietudine è una partecipazione all'inquietudine di Dio per noi. Poiché Dio è inquieto nei nostri confronti, Egli ci segue fin nella mangiatoia, fino alla Croce. «Cercandomi

ti sedesti stanco, mi hai redento con il supplizio della Croce: che tanto sforzo non sia vano! », prega la Chiesa nel *Dies irae*. L'inquietudine dell'uomo verso Dio e, a partire da essa, l'inquietudine di Dio verso l'uomo devono non dar pace al Vescovo. È questo che intendiamo quando diciamo che il Vescovo dev'essere soprattutto un uomo di fede. Perché la fede non è altro che l'essere interiormente toccati da Dio, una condizione che ci conduce sulla via della vita. La fede ci tira dentro uno stato in cui siamo presi dall'inquietudine di Dio e fa di noi dei pellegrini che interiormente sono in cammino verso il vero Re del mondo e verso la sua promessa di giustizia, di verità e di amore. In questo pellegrinaggio, il Vescovo deve precedere, dev'essere colui che indica agli uomini la strada verso la fede, la speranza e l'amore.

Servus Dei *Henricus Morante Chic*, Sacerdos, die 25 mensis Septembris anno 1896 Illerdae in vitae lucem venit. Per religiosam professionem Deo se consecravit in conventu loci *El Olivar* anno 1915. Illerdae ad presbyteratus ordinem evectus est anno 1924. Catitate refulsit erga pauperes, proprio quoque cibo se privans ut pauperibus largiretur. Illerdae ad Dominum migravit die 25 mensis Iulii anno 1936.

Servus Dei *Iesus Massanet Flaquer*, Sacerdos, in pago *Capdepera*, apud Insulas Baleares, provinciae Maioricensis, exsistere incepit die 16 mensis Ianuarii anno 1899. Religiosam suscepit professionem in conventu loci *El Olivar* anno 1918. Celsonae presbyteratus ordine anno 1923 est insignitus. Illius testes dilaudaverunt fervorem eius in Eucharistico Sacrificio celebrando et in Dei Verbo praedicando. Martyrium passus est Illerdae die 25 mensis Iulii anno 1936.

Servus Dei *Amantius Mann Mínguez*, Sacerdos, in vitam venit die 26 mensis Martii anno 1908 in pago *Celada del Camino*, provinciae Burgensis, Ordinis habitum induit anno 1924 in conventu Sancti Raimundi Nonnati, ubi professionem quoque nuncupavit anno 1925. Tudensi in urbe presbyter est ordinatus anno 1931. Humili, docili et spirituali indole exornatus. Martyrio vitam profudit die 26 mensis Iulii anno 1936.

Servus Dei *Laurentius Moreno Nicolás*, Sacerdos, ortum habuit Ilorci, provinciae Murciae, die 24 mensis Maii anno 1899. Inde a puero erga res sacras propensum se praebebat. Anno 1919 ingressus est monasterium loci *Poyo*, provinciae Pontis Veteris. Professionem emisit anno 1920 et sacerdotio auctus est anno 1926. Valde aestimatus ob patientiam, humilitatem, castitatem et marialem devotionem. Die 4 mensis Novembris anno 1936 in itinere versus locum v. *Caravaca*, prope Ilorcum, interemptus est.

Servus Dei *Franciscus Mitjá Mitjá*, Frater, natus est in oppido *Arbucias*, provinciae Gerundensis, die 26 mensis Iunii anno 1874. Habitu Ordinis indutus anno 1909, sequenti anno religiosis votis se obligavit. Ob oculorum

morbum ad sacerdotium accedere nequivit. Simplicitate claruit, humilitate et operositate. Circa diem primum mensis Ianuarii anno 1937 martyrio occubuit.

Quandoquidem sanctitatis fama horum martyrum per Ecclesiam inde a sacrificii tempore propagabatur, Processus Ordinarius instructus est apud Curiam dioecesis Illerdensis ab anno 1957 usque ad annum 1959; cuius iuridicam auctoritatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum die 9 mensis Iunii anno 1995 vulgatum. Confecta *Positione*, die 30 mensis Septembris anno 2009 actus est Congresus Consultorum Theologorum, qui positiva tulerunt vota. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 13 mensis Decembris anno 2011 congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Sanctis Abril y Castelló, Archiepiscopi tit. Tamadensis, agnoverunt praefatos Dei Servos ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam interemptos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Mariani Alcalá Pérez et XVIII Sociorum ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Canonizationis Beatae Mariae a Monte Carmelo (in saec.: Mariae a Monte Carmelo Sallés y Barangueras), Fundatricis Sororum Immaculatae Conceptionis pro instructione puellarum (1848-1911)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Maria a Monte Carmelo (in saeculo: Maria a Monte Carmelo Sallés y Barangueras) Vicensi in urbe (prope Barcinonem, in Hispania) die 9 mensis Aprilis anno 1848 nata est e familia penitus christiana. Vocationem ad vitam consecratam praesentiens, in novitiatum ingressa est Religiosarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis in regione Barcinonis v. *Gracia* appellata. Haec peculiaris eucharistica Congregationis indoles spiritalem illustrat descriptionem Beatae, necnon filialem devotionem erga Immaculatam Conceptionem, in cuius mysterii lumine exigentiam perspexit operae educativae suscipiendae pro infantia et sociali statu mulieris. Per iter spiritalis inquisitionis, Beata charisma intellexit quod Dominus ei tradiderat; Burgi igitur anno 1892 Congregationem condidit Sororum Conceptionistarum a Sancto Dominico (hodie Conceptionaristae Missionariae ab Institutione). Munus eius omnino conversum est ad sorores et laicas instituendas, quibus educationem commisit novarum generationum. Beata, post Burgum, scholas aperuit Segoviae, Matriti ac deinceps in Italia etiam et in Brasilia. Hoc in fundationum itinere singulari eminuit liberalitate, firma fide atque assidua oratione cotidiana. Contumeliis et infirmitatibus correpta, quas semper admirabili sustinuit patientia, die 25 mensis Iulii anno 1911 Matriti pie in Domino obdormivit. A beato Ioanne Paulo II die 15 mensis Martii anno 1998 in beatorum catalogum est relata.

Canonizationis intuitu, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam praebuit miram sanationem puellae Mariae Isabellae Gomes de Melo Gardelli. Eventus in urbe Sancti Pauli in Brasilia mense Maio anno 2000 accidit. Maria Isabella, paulo ante quattuor annos nata, miri status somni necessitatem ostendere coepit atque oris deformationem, paralysim faciei atque declinationem harmonicam dextrorsum. Iacuit in valetudinario in quo examina in puella laesionem cerebri demonstrave-

runt. Ex valetudinario dimissa est, sine adhibita cura pharmacologica atque permanens in eodem statu neurologico quo in valetudinarium erat accepta.

Sic stantibus rebus mater puellae sorores adiit Conceptionaristas ut dolentem notitiam de Maria Isabella referret, nempe quod saltem per unius anni spatium frequentare non posset scholam ab iisdem administratam. Moderatrix eam consolare conata est eamque adhortata ut intercessionem beatae Mariae a Monte Carmelo invocaret, cuius nomisma et parvam tradidit ei imaginem; immo, sibi munus imposuit hortandi omnes infantes ut per novendiales supplicationes secundum hanc intentionem orarent. Inter quintum et sextum diem supplicationum antequam puella physiotherapiam initiaret, valetudo eius inopinate in melius rediit, quam secuta est absoluta signorum morbi exstinctio atque functionum restauratio, sine ullo interventu therapeutico, pharmacologico neque physico: puella ad normam loqui coepit atque commode artus movere.

Congruentia temporis evidens apparuit inter invocationem ad Beatam nec non sanationem Mariae Isabellae, quae nunc fausta fruitur valetudine et apta exstat ad consuetam vitam.

De sanatione, quae mira est habita, Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Sancti Pauli in Brasilia a die 20 mensis Decembris anni 2006 ad diem 30 mensis Ianuarii anni 2007 est instructa, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die 25 mensis Ianuarii anno 2008 est approbata. Coetus Medicorum Dicasterii in congressione die 30 mensis Iunii anno 2011 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex hodiernis scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 8 mensis Octobris anno 2011 Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 6 mensis Decembris anno 2011 se congregaverunt, Causae Ponente Excellentissimo Domino Iusto Mullor García, Archiepiscopo titulo Volsiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Mariae a Monte Carmelo (in saec.: Mariae a Monte Carmelo Sallés y Barangueras), Fundatricis Congregationis Sororum Conceptionaristarum Missionaria-*

rum ab Institutione, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione puellae Mariae Elisabethae Gomes de Melo Gardelli a « estesa lesione ischemica cerebrale vascolare su base verosimilmente infiammatoria ».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VENETENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Matris a Sancto Ludovico (in saec.: Mariae Ludovicae Elisabethae de Lamoignon vid. Molé de Champlâtreux), Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate S. Ludovici (1763-1825)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Mater a Sancto Ludovico (in saeculo: Maria Ludovica Elisabetha de Lamoignon) Lutetiae Parisiorum die 3 mensis Octobris anno 1763 est orta. Sedecim annos nata, principi Francisco-Eduardo Molé de Champlâtreux nupsit: e matrimonio quinque nati sunt filii, ex quibus tres in tenera mortui sunt aetate. Illis annis Venerabilis Serva Dei totam familiae se dedit, minime tamen opera caritatis neglexit; immo, concorditer cum marito, magnam vitae simplicitatem sibi proposuit atque continuam de egentibus sollicitudinem ita ut a populo vulgo «l'ange des mansardes» vocaretur. Consectaria Francogallicae Eversionis familiam Molé graviter percusserunt: anno 1794 maritus guillotina est decollatus. Illa tamen vim habuit persecutoribus ignoscendi, atque consilium nutrivit vitam consecratam amplectendi.

Condicioni igitur nobilis mulieris renuntiavit atque privata nuncupavit religiosa vota. Venetensem in urbem se transtulit ibique anno 1803 fundamenta iecit Congregationis Sororum a Caritate S. Ludovici eo consilio ut puellas derelictas curaret, illis infantibus parentibus orbatis adstaret, quos politicae rei mutatio atque bella consectaria vexaverant, atque operam spiritalium exercitationum animaret. Moderatrix ad vitam nominata est novae Congregationis, nomen sibi imponens Matrem a Sancto Ludovico. Die 4 mensis Martii anno 1825 pie in Domino obdormivit. Beatus Ioannes Paulus II eius heroicas die 16 mensis Ianuarii anno 1986 recognovit virtutes.

Beatificationis intuitu, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam praebuit miram sanationem, intercessioni Venerabilis Servae Dei tributam, domini Marcelli Lesage. Eventus Quebeci in Canada inter dies 21 et 22 mensis Maii anno 1962 accidit. Dominus Marcellus, sanae et firmae constitutionis, septemdecim annos natus, victima cecidit ob vulnus distorti brachii sinistri, quod secutae sunt: ipsius inflatio, alta febris atque impossibilitas prosequendi lignarii navitatem. Curationes in irritum ceciderunt; immo, ob peculiarem semper graviorem ossis affectionem, interventio chirurgica necessaria ducta est.

Iuvenis Marcellus ferventer Venerabilem Servam Dei invocavit. Soror comitata est eum, scholae Sororum a Sancto Ludovico alumna, quae magistram quandam rogavit ut pro eius fratre oraret ad artum incolumem servandum. Aliae etiam alumnae huic communi se sociarunt invocationi. Praeterea, dum in valetudinario adstaret, pars quaedam reliquiarum Venerabilis Servae Dei super brachium infirmi posita est. Inopinate, imminente iam interventione chirurgica, infirmus advertit brachium ad consuetam rediisse condicionem; descriptio medica evidenter mutata est cum variatione signorum valetudinis, atque medicus chirurgus obstupuit ita ut interventum iam ordinatum amputationis necessarium non existimaret.

Congruentia temporis evidens apparuit inter invocationem ad Servam Dei nec non sanationem Marcelli Lasage, qui deinde fausta fruitus est valetudine, et aptus exstitit ad laboriosam lignarii operam resumendam.

Eiusmodi sanatio, quae mira est habita, materia fuit Inquisitionis dioecesanae apud Curiam ecclesiasticam Quebecensem a die 30 mensis Aprilis ad diem 9 mensis Decembris anni 1986 instructae, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die 30 mensis Octobris anno 1987 est approbata. Acta Inquisitionis dioecesanae, cum peritiis medicis et legalibus ex officio, aestimationi Coetus Medicorum

Dicasterii die 10 mensis Februarii anno 2011 sunt tradita. Die 21 mensis Maii anno 2011 Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum.

Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt in Sessione Ordinaria quam ego, Card. Angelus Amato, praesedi die 13 mensis Decembris anno 2011, Causae Ponente Eminentissimo Domino Cardinale Francisco Monterisi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Matris a Sancto Ludovico (in saeculo: Mariae Ludovicae Elisabethae de Lamoignon, vid. Molé Champlâtreux), Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate S. Ludovici, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione domini Marcelli Lesage a « osteomielite cronica dell'omero sinistro, estesa a tutta la diafisi, con multiple riacutizzazioni ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A.D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CURIENSIS seu COMENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Nicolai Rusca, Sacerdotis dioecesani († 1618)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Ad quoscumque mittam te, ibis et universa, quaecumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te » (*Ier* 1, 7-8).

Certamen Ieremiae, Israelis prophetae, ad vitam et mortem Servi Dei Nicolai Rusca resilit, qui etiam in hora martyrii vim et consolationem instantiae Domini expertus est, qui ei usque ad sanguinis effusionem gratiam concessit perseverantiae et fidelitatis erga Ecclesiam Christi et doctrinam catholicam.

Servus Dei die 20 mensis Aprilis anno 1563 Bedani in Pago Ticinensi, tunc intra fines dioecesis Comensis, natus est. Studiis apud Collegium Helveticum Mediolanense expletis, die 23 mensis Maii anno 1587 presbyteratu auctus est. Parochus Suessae ac Montesii in territorio pagi sui natalis nominatus, dein ad archipresbyteratum Sondrii translatus est, quod tunc locus princeps erat Vallis Tellinae et sub politica specie ad Tria Foedera (nunc scilicet Pagum Rhaeticum seu Grisonium in Helvetia) pertinebat, ubi usque ad mortem degit. Magnam partem ministerii pastoralis sui exercuit apud finitima territoriorum, quae Reformationi lutheranae illo tempore peculiariter indulserant, quo disputationes quidem inter christianas confessiones perasperrime saevierunt.

In servitio pastorali pro bono communitatis catholicorum Sondrii suppeditato Servus Dei summa sacramentorum administrationis sollicitudine, christifidelium instituendorum navitate et bonorum Ecclesiae regiminis diligentia emicuit. Mirabile fuit speculum presbyteri ad mentem Sacrosancti Concilii Tridentini et ad exemplum Iesu Boni Pastoris conformati. Optima qua imbuebatur doctrina et pastoralis sollertia ei permisit, ut trepidi turbatique populi moderator fieret firmissimus ac membrorum cleri lucerna. Etiam in re civili prudentem ac moderatum adeo se praebuit, ut sive

privati cives sive publici procuratores eum arbitrum ad varias lites actionesque dirimendas saepius delegerint.

Tempore tricennali fere moderaminis sui archipresbyteratus Sondrii, Servus Dei crebra cum Reformatis iunxit commercia. Quibus in adiunctis in catholicae fidei defensione ita firmus semper se ostendit, ut *religionis acerrimi defensoris* quidem mereretur titulum. Nec vero erga interloquentes ipsi umquam defuit obsequium, sed diligentius omnes vitavit modos dicendi, qui eos forte offenderent, non suipsius gloriam, sed salutem animarum exquirendam radicitus confisus. Praeter disputationes, insuper, omni studio innumeris textibus de doctrinae catholicae defensione seu enarratione redigendis vacavit.

Volventibus annis, res politicae ac religiosae in universo Pago Rhaetico infeliciter ac Sondrii praesertim infaustissime evaserunt. Nam, ineuntibus mensibus anni 1618, superatis molestiis, quibus Servum Dei apud tribunal protinus oportuit defendi, novae conflictationis causae processerunt, praesertim quoad iuvenum institutionem, et odium Reformatorum in eum in peius vertit. Servus Dei autem, licet ingravescentis periculi quod adibat sibi conscius esset, impavidus actuositatem pastoralem perseveravit. Nocte, vero, inter dies 24 et 25 mensis Iulii anno 1618, manipulus armatorum, quem pastor quidam reformatus ducebat, muros ambiit domus canonicae eumque deprehendit et primum Curiam, dein in vicinum vicum Thusim traxit, ubi tribunal speciale sexaginta et sex iudicum consedit, qui e plurium Trium Foederum communitatum membris selecti erant. His in adiunctis, insuper, consessus tribunalis reformatorum praegravante parte licenter improbeque alteratus est.

Die 1 mensis Septembris anno 1618, actione in tribunali inita, Servus Dei nullo advocato defensore frui potuit, quos cum communitas Sondriensis catholica ei subrogaverat insimulatione perduellionis impendente, Thusi depulsi erant. Contra eum crimina pristinis in actionibus iam prolata resumpta sunt et nova quidem suggesta, inter quae etiam assignatum est culpae quod cum populo Sondrii adeo tenax ipse instituere valuerat vinculum, ut iudices ab omni contra ipsum sententia parcerent, timentes ne effrenati moverentur tumultus. Servus Dei omnia insimulata crimina recusavit, sed, licet ad poenas et martyrium iam esset paratus, a iudicibus petiit, ut praevisam

torturam in exsilium vel carcerem commutarent. Rogatione autem denegata, acerrimum supplicium chordae biduo, diebus scilicet 2 et 3 mensis Septembris, passus est. Nocte intermissa tormentoque iudicum mandatu suspenso, ministri evangelici, qui tribunali aderant, saevitias ipsi a se resumpserunt et, cum Servus Dei confessarium petiit, hunc ludibriose reiecerunt. Tunc vero, Christi et Ecclesiae amore omnino captus, ad mortem, quam iam proximam sentiebat, se paravit, fidem suam confitens, misericordiae Dei prorsus confisus. Ad vesperam diei 4 mensis Septembris, dum excruciabatur, Thusi morte occubuit.

Martyris fama circumfusa, aestate anni 1619, christifideles caverunt, ut exuviae eius mortales clandestine refoderentur et in abbatiam Fabariensem reponerentur, ubi usque ad annum 1845 manserunt, cum, Episcopi Comensis cura, translata sunt in ecclesiam Sanctuarii Saxellae ac dein, anno 1852, in ecclesiam Collegiatam Sondrii.

Apud Curiam Episcopalem Comensem, a die 8 mensis Februarii anno 1935 ad diem 20 mensis Iunii anno 1936, Causa beatificationis inita est per celebrationem Processus Ordinarii et, a die 7 mensis Iulii anno 1995 ad diem 26 mensis Aprilis anno 1996, novis recollectis documentis, per celebrationem Inquisitionis dioecesanae super martyrio Servi Dei, quorum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 23 mensis Maii anno 1997 probatae sunt. Positione confecta, iuxta suetum morem, die 6 mensis Maii anno 2003, Congressus Peculiaris Consultorum Historicorum factus est et, die 27 mensis Martii anno 2009, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, favente cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 11 mensis Octobris anno 2011 habita, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Salvatoris Fisichella, Archiepiscopi titularis Vicohabentini, Causae Ponentis, agnoverunt Servum Dei Nicolaum Rusca ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum martyrium passum esse.

De hisce omnibus rebus, referente infrascripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Nicolai Rusca, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Orentii Aloisii (in saec.: Antonii Solá Garriga) et XXI Sociorum, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum necnon Antonii Mateo Salamero, Sacerdotis dioecesani († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et in sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas » (*1 Gv* 5, 5-6).

Martyres Christi, Spiritu Sancto sustentati, in erroris falsitatisque hora testimonium praebuerunt Veritatis. Novissima tantorum exempla, maxime ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum et unus sacerdos dioecesanus, belli civilis ac persecutionis religiosae adiunctis conexi sunt, quae in Hispania inter annos 1936 et 1939 acciderunt, atque Martyris illius super Golgotha sanguini sanguinem conseruerunt suum. Qui nunc in Ecclesiae et mundo tamquam fidei fortitudinis speculum et gratiarum intercessores summopere fulgent.

Frater *Orentius Aloisius* (in saec.: Antonius Solá Garriga) Flaviobrigae die 20 mensis Februarii anno 1898 natus est. Biduo post ortum ad regenerationis fontem ablutus, anno 1898 sacramentum recepit confirmationis. Alumnus fuit in Novitiatu Bucedensi atque anno 1923 Matriti professionem religiosam emisit. In Collegio «Las Maravillas» Matritensi tamquam magister docuit usque ad annum 1931, cum manus inimicorum fidei christianae, conflato incendio, idipsum omnino vastaverunt. Deinde, altero in Belgica Novitiatui operatus est et, in patriam reversus, nominatus est praeses Seminario Minori Grinionensi. De eo confratres disertissime planissimeque locuti sunt, eius aspicientes navitatem doctrinae tradendae, actuositatem et spiritum orationis. Grinione, die 28 mensis Iulii anno 1936, interemptus est. Caput sociorum in religione habetur, qui cum eo ipso die eademque in civitate trucidati sunt. Scilicet:

Frater *Aquilinus Xaverius* (in saec.: Celestinus Ruíz Alegre), qui in vico vulgo dicto *Mazueco de Lara* die 5 mensis Aprilis anno 1902 natus est, professionem religiosam Vallisoleti anno 1927 emisit et apostolicam operam apud scholas Loricae, Almeriae et Grinione exercuit.

Frater *Angelus Gregorius* (in saec.: Germanus Arribas Arribas), qui in vico vulgo dicto *Mazueco de Lara* die 28 mensis Maii anno 1895 natus est, professionem religiosam anno 1921 emisit, apud scholas Matriti et in vico Sancta Cruce de Mudela docuit et ab anno 1929 munus infirmorum ministri Grinione functus est.

Frater *Marius Felix* (in saec.: Emmanuel Iosephus de Sousa), qui in vico vulgo dicto *Bouro* in Lusitania die 27 mensis Decembris anno 1860 natus est et, utroque orbatus parente, patruo cuidam commissus est, qui eum in Brasiliam devexit; anno 1888 Institutum ingressus est ac Bucedi institutus; professionem religiosam anno 1918 emisit.

Frater *Arturus* (in saec.: Iaochimus Narcissus Isidorus Oliveras Pujalrás), qui in vico *Sant Feliu de Pallerols* die 14 mensis Februarii anno 1875 natus est, professionem religiosam anno 1905 emisit et apud communitatem Grinionensem commorabatur, ubi, tempore excidii, operam coquinariam exercebat.

Frater *Sixtus Andreas* (in saec.: Andreas Merino Bascones), qui in vico *Sasamón* prope Burgum die 10 mensis Novembris anno 1874 natus est,

alumnus fuit in Novitiatu Matritensi et professionem religiosam Bucedi anno 1903 emisit; tempore excidii, Grinione infirmus iacebat.

Frater *Chrysostomus Albinus* (in saec.: Lazarus Ruíz Peral), qui in vico *Arconada* die 20 mensis Ianuarii anno 1909 natus est, alumnus fuit in Novitiatu Bucedensi, professionem religiosam anno 1934 emisit et ipse quoque Grinione, tempore excidii, infirmus iacebat.

Frater *Beniaminus Leo* (in saec.: Gracilianus Ortega Marganes), qui in vico *Arconada* die 12 mensis Augusti anno 1905 natus est et, ad familiam remissus infirmae valetudinis causa, post aliquot annos in Institutum rediit et professionem religiosam anno 1935 emisit.

Frater *Marianus Paulus* (in saec.: Theodorus Pérez Gómez), qui Vallisoleti die 7 mensis Ianuarii anno 1913 natus est et triennalem professionem religiosam in civitate Grinione anno 1935 emisit.

Frater *Xaverius Elisaeus* (in saec.: Eventius Castellanos López), qui in vico *Quintanilla de Onésimo* die 13 mensis Ianuarii anno 1912 natus est, triennalem professionem religiosam anno 1934 emisit et, post annum magisterii apud scholam Almeriae, Grinionem missus est.

Insequentibus mensibus sanguinem etiam effuderunt Servi Dei, qui sequuntur:

Frater *Alexius Andreas* (in saec.: Patricius Beobide y Cendoya), qui in vico vulgo dicto *Azpeitia* apud Sebastianopolim die 15 mensis Martii anno 1889 natus est, professionem religiosam Matriti anno 1917 emisit et, optimus magister, officio moderationis Institutorum functus est; Grinione die 8 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Iosephus Alphonsus* (in saec.: Maximinus Serrano Saiz), qui in vico *San Adrián de Juarros* prope Burgum die 29 mensis Maii anno 1887 natus est, professionem religiosam Matriti anno 1920 emisit et die 8 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Dacianus* (in saec.: Ioannes Antonius de Bengoa y Larrínaga), qui in vico *Dima* in Cantabria die 17 mensis Ianuarii anno 1882 natus est, professionem religiosam Bucedi anno 1910 emisit et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 28 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Symphronius* (in saec.: Emmanuel Michael Sánchez), qui in vico vulgo dicto *Los Santos* die 29 mensis Iulii anno 1876 natus est, muneribus magistri et moderatoris varias apud scholas functus est, professionem religiosam Matriti anno 1908 emisit et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 30 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Paulus a Cruce* (in saec.: Saturninus Sanz Sanz), qui in vico vulgo dicto *Riaza* prope Segobiam die 9 mensis Aprilis anno 1879 natus est, professionem religiosam Matriti anno 1907 emisit et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 30 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Ioannes Paulus* (in saec.: Gregorius Álvarez Fernández), qui in vico *Bolaños de Campos* prope Vallisoletum die 9 mensis Maii anno 1904 natus est, professionem religiosam Grinione anno 1929 emisit et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 28 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Florianus Felix* (in saec.: Aemilianus Santamaría Angulo), qui in vico vulgo dicto *La Nuez de Abajo* prope Burgum die 8 mensis Augusti anno 1899 natus est, professionem religiosam Bucedi anno 1920 emisit et et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 30 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Ismael Richardus* (in saec.: Martinus Arbé Barrón), qui in vico *Aniastro* prope Burgum die 1 mensis Ianuarii anno 1906 natus est, professionem religiosam Bucedi anno 1931 emisit et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 30 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Adelbertus Ioannes* (in saec.: Vincentius Angulo García), qui in vico *Quintana Martín Galíndez* prope Burgum die 22 mensis Ianuarii anno 1904 natus est, professionem religiosam Matriti anno 1929 emisit et in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* die 30 mensis Novembris anno 1936 interemptus est.

Frater *Iosephus Gorostazu Labayen*, laicus, qui in vico vulgo dicto *Usi* in Navarra die 30 mensis Decembris anno 1907 natus est, postridie ad regenerationis fontem ablutus est et postea sacramentum recepit Confirmationis.

Grinione domi formationis officia domestica exercebat. A militianis irrumpentibus, quorum profanationibus frustra obsistere navaverat, die 28 mensis Iulii anno 1936 interemptus est.

Dominus *Antonius Mateo Salamero*, presbyter ex Archidioecesi Matritensi, qui in vico *Torres del Obispo* prope Oscam die 24 mensis Septembris anno 1864 natus est, studia de arte medica iniverat, quae dein deseruerat, ut vocationem ad sacerdotium sequeretur; anno 1920 doctoratum in sacra Theologia adeptus est apud Pontificiam Universitatem Studiorum Toletanam et novem ultimos annos vitae uti cappellanus communitatis Fratrum Scholarum Christianarum degit Grinione, ubi die 9 mensis Augusti anno 1936 interemptus est.

Quorum Servorum Dei martyrii fama in totam communitatem ecclesialem diffusa, apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem, ab anno 1950 ad annum 1954, Processus Ordinarius super martyrio Servorum Dei et, anno 1952, apud Curiam Episcopalem Malacensem Processus Rogatorialis celebrati sunt, quorum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 27 mensis Novembris anno 1991 probatae sunt.

Positione confecta, iuxta suetum morem, die 25 mensis Septembris anno 2009, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est, in quo prospero cum exitu disceptatum est an Servorum Dei mors verum martyrium fuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 8 mensis Novembris anno 2011 habita, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum - Tarquiniensis, Causae Ponentis, agnoverunt supradictos Servos Dei ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum martyrium passos esse.

De hisce omnibus rebus, referente infrascripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Orentii Aloisii (in saec.: Antonii Solá Garriga) et XXI sociorum ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonii Mateo Salamero, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Alberti Mariae Marco Alemán ac VIII Sociorum, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia necnon Augustini Mariae García Tribaldos, et XV Sociorum ex Instituti Fratrum Scholarum Christianarum († 1936-1937)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Accipietis virtutem, superveniente Sancto Spiritu in vos, et eritis mihi testes » (*Act* 1, 8).

Servi Dei qui tempore cruentae vexationis in religionem catholicam in Hispania annis 1936-1937 Christo pulcherrimum dederunt fidei testimonium, Spiritus Sancti donum acceperunt atque viribus firmati sunt ad pericula, contumelias et iniustam damnationem obeunda usque ad sanguinis effusionem, fidelitatem erga Dominum Iesum eiusque Ecclesiam iugiter servantes.

Hic martyrum manipulus in duos dividitur coetus:

Ad primum, qui sodalibus constat Ordinis Carmelitarum ab Antiqua Observantia, pertinent:

P. Albertus Maria Marco Alemán. In oppido *Caudete* (Albasiti) die 23 mensis Maii anno 1894 natus, religiosa vota anno 1910 nuncupavit atque presbyter anno 1917 est ordinatus. Superior fuit communitatis sanctuarii

Dominae Nostrae *El Henar* in *Cuéllar*, deinde Primus Definitor sui Ordinis, praefectus studiorum atque professor apud Collegium philosophicum-theologicum, Secretarius et Adiutor Provincialis. Fundationem coepit novi monasterii in *Cogullada* (Caesaraugustae urbis). Munus exercens prioris communitatis Matritensis, studiose de fervore inter fideles sollicitus fuit, sicut confessarius eminens atque curam de pauperibus adhibens. Suas ob virtutes appellatus est « Apostolus Ordinis Carmelitarum in Castella Vetere ». Insectatione exorta, die 31 mensis Augusti anno 1936 apprehensus est atque in carcerem inclusus. Die 23 mensis Novembris in *Paracuellos de Jarama* est ductus ac primo diluculo diei 24 mensis Novembris, simul cum multis aliis, est occisus.

Ceteri octo Carmelitani iuvenes sunt, inter 18 et 23 aetatis annos. Ex conventu in *Onda* (*Castellón de La Plana*) sunt deducti, in locum *Carabanchel Bajo* translati sunt atque ante coemeterii muros plumbis interfecti. Hi sunt:

Fr. Daniel Maria García Antón, in *Navacepeda de Tormes* (Abulae) die 11 mensis Decembris anno 1913 natus, temporaria vota emisit anno 1930. Iuvenis fuit religiosus aequa indole donatus, prudens ac silens, in studiis agendis pertinax atque in Regulis observandis exemplaris.

Fr. Silvanus Maria Villanueva González, in *Huérmeces* (Burgi) die 9 mensis Februarii anno 1916 natus, vota temporaria pronuntiavit anno 1932. Vix viginti annos natus occisus est.

Fr. Adalbertus Maria Vincentius Muñoz, in *Cuéllar* (Segoviae) die 23 mensis Aprilis anno 1916 natus, votis temporariis anno 1932 se obstrinxit. Etiam Fr. Adalbertus tantummodo 20 aetatis annos agebat cum martyrio occubuit.

Fr. Aurelius Maria García Antón, in *Navacepeda de Tormes* (Abulae) die 24 mensis Augusti anno 1916 natus, temporaria vota professus est anno 1932. Frater fratris Danielis, organarii munus perdiligenter exercebat.

Fr. Franciscus Maria Pérez Pérez, in *Ros* (Burgi) die 31 mensis Ianuarii anno 1917 natus, votis religiosis anno 1933 se consecravit. Iuvenis religiosus perquam observans exstitit atque iugiter promptus ad sodales iuvandos in disciplinis scientiarum quibus callebat.

Fr. Angelus Maria Reguilón Lobato, in *Pajares de la Lampreana* (Zamorae) die 1 mensis Iunii anno 1917 natus, temporariam professionem fecit anno

1935. Fuit iuvenis alacer ingenio, oboediens, obsequens atque studiis admodum dicatus. Tantummodo 19 aetatis annos agens necatus est.

Fr. Bartholomaeus Fanti Maria Andrés Vecilla, in *Pajares de la Lampreana* (Zamorae) die 26 mensis Augusti anno 1917 natus, vota emisit anno 1935. Sicut frater Angelus, in studiis socius, tantummodo 19 annos natus comprehensus est et occisus.

Fr. Angelus Maria Sánchez Rodríguez, in *Pajares de la Lampreana* (Zamorae) die 2 mensis Augusti anno 1918 natus, temporaria nuncupavit vota anno 1935. Iunior inter socios, interemptus est post annum a quo vota pronuntiaverat.

Ad alterum martyrum manipulum sedecim pertinent Fratres Scholarum Christianarum, qui diversis in adiunctis et temporibus sunt occisi. Eorum dux considerari potest:

Fr. Augustinus Maria (in saeculo: *Eugenius García Tribaldos*), in *Vellisca* (Conchae) die 13 mensis Iulii anno 1877 natus, vota perpetua professus est anno 1913. Apostolatum anno 1895 coepit, et in collegium *Cóbreces* translatus die 24 mensis Iulii anno 1897, quasdam ob difficultates Institutum reliquit, munus pergens docendi atque veluti optimum christianum se gerens. Octo transactis annis, iterum Institutum ingressus est atque vota perpetua die 25 mensis Augusti anno 1913 professus est. Edocuit Vallisoleti, *Bujedo* et Matriti, munus redactoris *Eco de Belén* adimplevit, moderatoris Procurae Matritensis *Griñón* et domus editoriae *Bruño*. Stricte Regulam servavit, habilis in docendo et efficax in rebus scribendis. Singulari prosecutus est cultu Sanctissimum Sacramentum et Virginem Mariam, ad quam constanter se vertebat per coronam precatoriam. Die 30 mensis Iulii anno 1936 milites irruptionem fecerunt in domum ubi morabatur, duxerunt eum et ceteros sex quos invenerunt in *Pradera di San Isidro* eosque manuballista necaverunt.

Sequuntur sex socii qui simul cum eo martyrii corona sunt honorati:

Fr. Anselmus Paulus (in saeculo: *Michaël Solas del Val*), in *Briviesca* (Burgi) die 8 mensis Maii anno 1890 natus, perpetuam fecit professionem anno 1919. Diversa munera exercuit docendi. Bonus et pius, in vita religiosa diligentia eminuit in officiis adimplendis. Tempore quo occisus est vitam gerebat in communitate Procurae Matritensis.

Fr. Braulius Iosephus (in saeculo: *Alexander González Blanco*), in *Villovieco* (Palentiae) die 27 mensis Martii anno 1890 natus, perpetuis se obstrinxit votis anno 1918. Apostolatum suum diversis in locis exercuit: Matriti, *Jerez, Griñón, Villagarcía*. Bona indole praeditus, potissimum pueris educandis se dicavit. Ad communitatem Procurae Matritensis pertinebat cum comprehensus et occisus est.

Fr. Osea (in saeculo: *Villelmus Álvarez Quemada*), in *Santa Cruz de la Salceda* (Burgi) die 10 mensis Februarii anno 1890 natus, perpetua pronuntiavit vota anno 1921. Parum idoneus ad studia, opera manualia adimplebat, potissimum uti coquus et hortulanus. Diversis in communitatibus vixit: *Iturribide, Griñón*, Flaviobrigae, *Bujedo, Jerez*. In Procurae communitatem anno 1936 advenit, ipso anno quo mortem subiit.

Fr. Norbertus Iosephus (in saeculo: *Paulus Díaz de Zárate*), in *Múrua* (*Álava*) die 25 mensis Ianuarii anno 1892 natus, vota nuncupavit perpetua anno 1902. Edocuit variis in urbibus: Matriti, Portu Gaditano, Gadibus, Hispali. Die 2 mensis Ianuarii anno 1935 ad Procuram Matritensem destinatus est.

Fr. Chrysologus (in saeculo: *Ioannes Sanz y Palanca*), Pampelone die 11 mensis Augusti anno 1880 natus, perpetua vota emisit anno 1910. Multa explevit munera docendi atque moderandi diversis in urbibus, potissimum Matriti. Exemplaris exstitit in vita religiosa atque memoria dignus uti notissimus iuvenum educator.

Fr. Stephanus Vincentius (in saeculo: *Aloisius Herrero Arnillas*), in *La Serna* (Palentiae) die 22 mensis Augusti anno 1883 est ortus. Non admodum iuvenis Institutum est ingressus atque perpetuis votis se consecravit anno 1918, annos 35 natus. Vir intenso orationis spiritu ditatus.

Sequentes Servi Dei aliis in circumstantiis morti occubuerunt:

Fr. Virginius Petrus (in saeculo: *Vincentius López y López*), in *Miraveche* (Burgi) die 27 mensis Octobris anno 1884 natus, perpetuam fecit professionem anno 1912. Apostolatum incepit veluti magister in diversis collegiis quorum aliquot per annos moderator etiam fuit. Mense Septembri anno 1935 ad scholam destinatus est Sanctae Susannae Matriti. Die 20 mensis

Iulii anno 1936 interfectus est, dum Sanctissimum Sacramentum servare conabatur.

Fr. Irenaeus Hyacinthus (in saeculo: *Ioachimus Rodríguez Bueno*), in *Mazuelo de Muñó* (Burgi) die 20 mensis Augusti anno 1910 natus, votis perpetuis se obstrinxit anno 1935. Post tempus Gadibus transactum, destinatus est ad munus docendi Matriti explendum. Tempore persecutionis in schola erat Sanctae Susannae. Repertus uti religiosus, detentus est ac die 21 mensis Iulii anno 1936 interemptus.

Fr. Iunianus Albertus (in saeculo: *Albertus J. Larzábal Michelena*), in *Irun* (*Guipúzcoa*) die 4 mensis Februarii anno 1893 natus, perpetua vota fecit anno 1921. Magister fuit et etiam director in diversis collegiis, postea Matriti commentaria moderatus est *Vita e Luce*. In explendis muneribus religionis et educationis diligens, tamquam apostolus commentariorum catholicorum eminuit. Die 7 mensis Septembris in *Barrio de la China*, simul cum confratre Aloisio Victorio, necatus est.

Fr. Aloisius Victorius (in saeculo: *Eusebius Angula Ayala*), in *Quintanilla de Valdegovia* (*Álava*) die 14 mensis Decembris anno 1893 natus est; votis perpetuis se obligavit anno 1921. Operibus educationis deditus, director fuit etiam quibusdam in collegiis. Religiosus fortis et strenuae indolis, firmus fuit in explendo suo opere atque in eo ab aliis exigendo. Tempore persecutionis Matriti morabatur, ubi in *Barrio de la China* die 7 mensis Septembris anno 1936 est interemptus.

Fr. Braulius Carolus (in saeculo: *Ioannes Lucas Manzanares*), in *Lorca* (Murciae) die 10 mensis Decembris anno 1913 natus, perpetuam emisit professionem anno 1921. Destinatus est ad exercendum apostolatum educationis Matriti (*Puente de Vallecas*) in schola valde insectata. Ob indolem felicem, ob bonam agendi rationem et sincerum animum omnium aestimationem sibi comparavit. Ad eius insuper mortem, quae mense Februario anno 1937 evenit, quodammodo permovit recusatio temptationis contra castitatem a duabus mulieribus militibus incitatae.

Fr. Eleutherius Romanus (in saeculo: *Eleutherius Mancho López*), in *Fuentes de Valdepero* (Palentiae) die 20 mensis Februarii anno 1898 natus, perpetuam nuncupavit religiosam professionem anno 1923. Munus educatoris

Matriti iniit, deinde in *Griñón* transiit ac tandem in *Puente de Vallecas*. Ardenti fide eminuit, fervida orationis vita atque amore erga Iesum in Sanctissimo Sacramento. Comprehensus est et die 3 mensis Augusti anno 1936 martyrium subiit in *Pradera de San Isidro*.

Fr. Anastasius Petrus (in saeculo: *Petrus Burch Cortecans*), Gerundae ortum habuit die 30 mensis Iunii anno 1869 ac perpetuam emisit professionem anno 1897. Barcinone in opus educationis incubuit atque quaedam etiam moderatus est collegia in diversis Hispaniae urbibus. Cum collegium S. Raphaëlis Matriti dirigebat, post multos casus detectus est, detentus et plumbis percussus in *Fuencarral* die 13 mensis Septembris anno 1936 mortem oppetivit.

Fr. Vidal Ernestus (in saeculo: *Ramirus Frías García*), in *Villajimena* die 13 mensis Martii anno 1906 natus, perpetua professus est vota anno 1931. In Novitiatu Minore loci *Bujedo* docendi coepit munus ac, deinde, aliis in urbibus: postrema eius sedes fuit collegium-academia *Menéndez Pelayo* in *Paseo de la Castellana*. Fuit religiosus strictus in muneribus explendis, ipso quoque tempore quo vixit absconditus. Recognitus uti religiosus, deductus est in *Checa de Formento* atque mense Octobri anni 1936 in coemeterio *Vicálvaro* plumbeis ictibus est interfectus.

Fr. Rogatianus (in saeculo: *Ignatius González Calzada*), in *Terrazos de Bureba* (Burgi) die 29 mensis Iulii anno 1885 natus, perpetuis religiosis votis anno 1915 se consecravit. Diversis in communitatibus vitam gessit, ab illa Sacri Cordis in urbe Ierezensi ad illam Matriti-*Peñuelas*. Coqui officium exercuit. Dum afferret cibaria in ludum pueritiae *Claudio Coello*, retentus est atque veluti religiosus recognitus. Translatus in Aream Americae, die 22 mensis Iulii anno 1936 martyrio vitam profudit.

Propter horum martyrum famam, quae statim in ecclesialem communitatem diffusa est, apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem-Complutensem a die 3 mensis Iulii anno 1960 ad diem 10 mensis Novembris anno 1967 Processus Ordinarius actus est, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 23 mensis Octobris anno 1992 est recognita. Apparata *Positione*, die 29 mensis Septembris anno 2009 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 18 mensis Octobris anno 2011, audita

relatione Ponentis Causam, Excellentissimi Domini Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, agnoverunt Servos Dei martyrium in *odium fidei* sustinuisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Alberti Mariae Marco Alemán et VIII Sociorum ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia necnon Augustini Mariae García Tribaldos et XV sociorum ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

AVENIONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Mariae-Eugenii a Iesu Infante (in saec.: Henrici Grialou), Sacerdotis professi ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum, Fundatoris Instituti Saecularis Dominae Nostrae a Vita (1894-1967)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem » (*Mt* 24, 45-46).

Revera Servus Dei Maria-Eugenius a Iesu Infante hoc in fideli ac prudenti homine revibrat, quem Dominus custodem supra discipulos suos constituit: vita eius, enim, assiduum fuit, impellente Spiritu Sancto, perfectionis in fide, humilitate et caritate studium.

Ipse Servus Dei (in saec.: Henricus Grialou) Guaci in Gallia die 2 mensis Decembris anno 1894 e familia modestae condicionis natus est. Vocatione ad sacerdotium iam inde a pueritia percepta, Segusii in Italia apud Scholam Apostolicam Patrum Spiritus Sancti acceptus est; dein vero expostulare praeoptavit, ut in Seminarium dioecesanum Graviae admitteretur, in quo spiritualitate Sanctae Teresiae a Iesu Infante familiarius usus est. Theologiae ac philosophiae cursus apud Seminarium Maius Ruthenense frequentavit.

In exercitu ex iure conscriptus est: quos tamquam miles etiam primo totius mundi bello saeviente degit, asperrimi fuerunt anni, sed facultatem ei concesserunt « humani certaminis » mente amplectendi. Expleto bello, Servus Dei studia renovare valuit et, dum quondam secesserat in subdiaconatus praeparationem, praesertim post lectam sancti Ioannis a Cruce vitam, palam vocationem ad Carmelum animadvertit. Sic, paulo post ordinationem sacerdotalem, quae die 4 mensis Februarii anno 1922 evenit, Novitiatum Carmelitarum Antonae ingressus est. Hic vita orationis et contemplationis omnino permaduit ac spiritualitatem sanctae Teresiae a Iesu et rationem sanctae Teresiae a Iesu Infante funditus pertractavit, e qua quidem afflatum nominis sui religiosi hausit.

Post professionem simplicem, Servus Dei Insulam missus est, ut institutionem monasticam in Conventu loci perficeret et, die 11 mensis Martii anno 1926, professionem religiosam perpetuam emisit. Anno 1928, Superior domus

formationis Tarasconensis super Rhodanum nominatus est ac dein Prior recentioris Novitiatus Agennensis: omnibus in his locis ad institutionem tradendam sepositis, speculum religiosi semper iuvenibus praebere valuit imitandum, Carmelitarum spiritus studiosi ac de pastorali actuositate, praesertim Evangelii praedicatione et animarum moderatione, valde solliciti. Spiritualis audientium sitis ita disciplinae Carmelitarum amplius propagandae necessitatem reseravit, ut ipse facultatem secum in animo volvere iniret discipulorum informandorum, qui eodem conversationis imbuerentur spiritu et etiam «extra conventuum monasteriorumque muros» diffunderent.

Anno 1936, Superior constitutus est domus formationis Monoeci, quae vero paucis post mensibus Agennum translata est. Servus Dei posthac, cui magis vacabat, ad coetum sub titulo Dominae Nostrae a Vita nuncupatum instituendum, ab ipso iam inde ab anno 1929 provectum, omnibus viribus se contulit, qui non temere post aliquot annis in fraternitatem saecularem renuntiatus est.

Anno 1937, in Capitulo Generali tertius Definitor electus, in Italiam migravit. Officia abhinc ipsi commissa innumera facta sunt. Inter haec praesertim eminet illud, quod pro Missionibus Carmelitarum in Vicino Oriente suscepit, quo longo itinere transiit.

Altero totius mundi bello ineunte, Servus Dei, cum Gallus esset natione, licentia Italiae repetendae interclusus est atque ad arma immo ut Alpinis praepositus revocatus. Indutiis anno 1940 factis et bello adhuc grassante, Monasteria Carmelitarum in Gallia et provectum Instituti curavit. Bello confecto, Romam rediit et in Capitulo anno 1947 habito primus Definitor generalis electus est, cuius muneribus usque ad annum 1954 functus est. Tempus hoc fuit impensae navitatis: nam, inter alia, Congregatio pro Religiosis ipsi commisit negotia Visitatoris Apostolici pro Monasteriis Sororum Carmelitarum in Gallia eumque Delegatum Apostolicum ad Foederationem Monasteriorum Carmelitarum Galliae constituendam nominavit. Mense Martio anno 1954, Servus Dei Vicarius Generalis Ordinis factus est; quod munus, post novum Praepositum electum, anno 1955 remisit. Anno 1957, Superior Provinciae Avenionensis et Aquitaniae electus, a fidelitate religiosorum fovenda, a vitae ratione per contemplationem et solitudinem innovanda et a Congregatione Carmelitarum in Canada suscitanda numquam pepercit. Post Capitulum anno 1960 celebratum in moderatione Provinciae tamquam primus Definitor permansit.

In fertilitate enixae et actuosae vitae, spiritualitas Servi Dei emicuit firmitate fidei cotidiana mentis oratione enutritae, eucharisticae celebrationis fervore, constanti suipsius Spiritui Sancto oblatione, immensa Mariae Virginis fiducia, devotione erga Sanctos Ordinis Carmelitarum et Sanctam Emerentianam, necnon missionali sollicitudine, quae eum provexit, ut totam vitam Domino offerret. Instituti saecularis fundatione moderatam inter rationem contemplationis et apostolatus Ordinis Carmelitarum proposuit summam. Magister fuit spiritualitatis et sacerdotes, Seminarii alumnos, religiosas multosque quoque christifideles ipse prosecutus est. Hereditate reliquit amplum copiosumque homiliarum, conferentiarum et lectionum patrimonium, necnon textum, cui titulus «*Deum videre cupio*», quibus propositum suum, sicut dicebat, «contemplationis in viis» et universalis vocationis ad sanctitatem fovendae expresse illustravit. Fortitudine tulit intimas poenas et labores apostolicos, qui ipsum per totum iter pro bono Ecclesiae consumptum comitati sunt.

In Capitulo anno 1963 celebrato denuo electus est Superior Provinciae et anno 1966 renovatus. Aetas autem et infirma valetudo Servi Dei iam infregerant vires, qui, tumore correptus, die 27 mensis Martii anno 1967 in loco Dominae Nostrae a Vita mortem occubuit, ultimis his effatis verbis: «Ad amplexum Spiritus Sancti adeo... In manus tuas, Domine».

Ob eius sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Avenionensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 7 mensis Aprilis anno 1985 ad diem 5 mensis Martii anno 1994 et Inquisitionis Rogatorialis apud Curiam Archiepiscopalem Tokiensem a die 3 ad diem 5 mensis Aprilis anno 1990, quarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 25 mensis Novembris anno 1994 probatae sunt, sicut et, die 24 mensis Martii anno 1999, Supplementum Inquisitionis apud Curiam Archiepiscopalem Avenionensem a die 20 mensis Februarii anno 1997 ad diem 10 mensis Martii anno 1998 institutum. *Positione* confecta, die 14 mensis Iulii anno 2010, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 11 mensis Octobris anno 2011, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Laurentii Chiarinelli, Episcopi emeriti Viterbiensis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Mariae-Eugenii a Iesu Infante (in saec.: Henrici Grialou), Sacerdotis Professi ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum et Fundatoris Instituti Saecularis Dominae Nostrae a Vita, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Margaritae Luciae Szewczyk, Fundatricis Congregationis Filiarum Beatae Mariae Virginis Perdolentis v. d. « Serafitki » (1828-1905)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi » (*Phil* 1, 9-10).

Serva Dei Margarita Lucia Szewczyk anno 1828 in loco vulgo *Szepetówka* (in regione Volhiniae quae hodie in Ucraina invenitur) est nata, in terra

videlicet quae tunc ad Imperium Russiae pertinebat quaeque tamen a Polonis incolebatur. A iuventute vocationem ad vitam consecratam sentiebat, sed hoc desiderium ob perdifficilem condicionem politicam et religiosam perficere non potuit. Nam insurrectiones adversus Russorum regimen annis 1831 et 1863 atrocem provocaverunt auctoritatum politicarum reactionem adversus catholicos, omnes libertatis conatus reprimentium. Publici custodes tum adversus viros mulieresque consecratos tum adversus christifideles crudeliter operabantur: monasteria exstinguebantur, bona confiscabantur et multi expulsi sunt in exsilium vel deportati in Sibiriam.

Ex paucis notitiis quae de infantia Servae Dei habentur, novimus eam parentibus esse orbatam dum adhuc infans esset; hanc ob rationem germana soror eam curavit. Anno 1848 Tertio Ordini Franciscali nomen dedit atque privata vota religiosa nuncupavit. Exemplum sequens sancti Francisci Assisiensis, magna cum sobrietate vixit, indigentiores adiuvans et apostolatum suum abscondite exercens. Annis 1870-1873 peregrinationem in Terram Sanctam fecit, in qua pauperes et aegrotantes curavit. In patriam reversa, domicilium Varsaviae sibi constituit, quae etiam a Russis occupabatur, et actuositatem caritativam prosecuta est et auxit.

Anno 1877 in oppido *Zakroczym* (prope Varsaviam) convenit Beatum capuccinum Honoratum Koźmiński eiusque spiritali se concredidit moderamini, sua desideria quoad vitam religiosam ei aperiens suamque indefensioribus sine condicione deditionem. Beatus consilium eius approbavit eamque adhortatus est ut navitatem prosequebatur. Ab anno 1880 Serva Dei in *Zakroczym* incoluit, in domicilio meritorio, in quo congregare anus pauperes et aegrotantes coepit, de quibus magno cum amore sollicita erat. Caute valde agire debebat ne suspiciones regiminis suscitaret; sine timore tamen divinam secuta est vocationem quae eam ad plenam Deo invitabat deditionem totamque sui ipsius oblivionem. Eius exemplum contagiosum fuit et primae sociae statim eam sequi coeperunt eamque imitari. Hoc modo, beato Honorato iuvante, Serva Dei, etiamsi secreto, originem dedit novae Congregationi, «Sorores Pauperum» appellatae, quae die 8 mensis Aprilis anni 1881 definitivum nomen sumpsit: Congregatio Filiarum Beatae Virginis Mariae Perdolentis – v. d. *Serafitki*.

Postea, Beato Honorato favente, Serva Dei, maiorem quaerens libertatem, in Galiciam se contulit, quae tunc sub dominatione inveniebatur Habsburgensi. Anno 1891, acceptis debitis licentiis ecclesiasticis et civilibus, in loco v.d. *Hałcnów*, dioecesis Cracoviensis, Domum fundavit pro formandis

puellis postulantibus ut Institutum ingrederentur, cuius propositum fuit infantibus in orphanotrophiis assistere, populares scholas gerere, senes et aegrotos in valetudinariis curare.

Illis annis tamen vexatio regiminis in religionem gradatim increbrescebat. Novitiatus igitur in Czenstochoviam est translatus; domus autem Varsaviae et in *Zakroczym* clausae sunt. Domus mater, simul cum novitiatu, Osvencini est collocata.

Munera in dies crescebant, sed Serva Dei alta quaesitione spirituali sustentabatur et confirmabatur, quae exemplum in Beata Maria Virgine inveniebat, quam potissimum sicut « Perdolentem » contemplabatur, et in exercitatione heroica virtutum crescebat. Nam Matrem Dei imitans, usque altius intimam cum Passione Domini in necessitudinem ipsa mergebatur: constans oratio atque eucharisticus fervor in ea istam caritatis flammam alebant quae in omnibus eius manifestabatur experientiis. Infatigabilis fuit in operositate, mitis et serena in difficultatibus, aedificans cotidiana in consuetudine, prudens et aequa in decisionibus, parata ad sacrificium personale, amabilis erga proximum.

Primo in capitulo, anno 1901, quamvis aetate provecta, iterum Moderatrix Generalis est electa. Tribus tamen transactis annis, suadente Beato Honorato, munus abdicavit, tum ob valetudinis incertas condiciones tum ut solvendis quibusdam regiminis quaestionibus faveret quae intra communitatem ortae erant Serva Dei serena cum fiducia in Providentiam orientes difficultates obivit atque, secundum suae vitae rationem, semper fuit humilis, oboediens et magnanima.

Postremum vitae tempus in *Nieszawa* (in Poloniae regione Cuiavia-Pomerania) vixit, progrediente caecitate, at simul usque fortius augescente voluntati Dei adhaesione. Ibi die 5 mensis Iunii anno 1905 pie in Domino obdormivit.

Ob sanctitatis famam, a die 9 mensis Novembris anni 1993 ad diem 15 mensis Iunii anni 1996 apud Curiam archidioecesanam Cracoviensem Inquisitio est acta, cuius iuridica validitas per Decretum diei 6 mensis Decembris anno 1996 a Congregatione de Causis Sanctorum est approbata. Parata *Positione*, disceptatum est, ad suetas normas, an Serva Dei virtutes heroico modo exercuisset. Die 5 mensis Octobris anno 2010 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus, positivo cum exitu, habitus est. In Sessione Ordinaria die 6 mensis Decembris anno 2011 Patres Cardinales et Episcopi, audita relatione Ponentis Causae Eminentissimi Cardinalis

Stanislai Ryłko, edixerunt Servam Dei heroico modo virtutes theologales, cardinales iisque adnexas excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Margaritae Luciae Szewczyk, Fundatricis Congregationis Filiarum Beatae Virginis Mariae Perdolentis v.d. « Serafitki », in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

HERBIPOLENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Iulittae Ritz (in saec.: Teresiae Eleonorae), Sororis professae e Congregatione Sororum a Redemptore (1882-1966)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In Deo tantum quiesce, anima mea: ab ipso, enim, salutare meum. Verumtamen ipse refugium meum et salutare meum, praesidium meum: non movebor amplius » (*Ps* 62, 2-3).

Pura eadem assiduae caritatis Dei haec conscientia in vita veteris Psalmistae illius Israëlis in humana quoque et spirituali personat conversatione Servae Dei Mariae Iulittae Ritz (in saeculo: Teresiae Eleonorae).

Serva Dei die 24 mensis Septembris anno 1882 in vico v. *Uissigheim* in Germania nata est et, biennio post, universa familia eius in locum *Schleehof* prope *Veitshöchheim* commigravit. Iam inde a pueritia Serva Dei, quae aestate parentes adiuvabat et hieme dominicalem loci scholam pro laboribus muliebribus discendis frequentabat, vocationem ad vitam religiosam percepit. Dum undevicesimum aetatis explebat annum, parentes, quamquam alias duas haberent filias eiusdemque vero subsidio ad res familiares tuendas confiderent, unanimem illi tulerunt consensum, ut Conventum ingrederetur. Quapropter Serva Dei inter candidatas Congregationis Filiarum a Redemptore excepta est et primum Herbipoli frequentavit scholam intra Domus Generalis muros sitam, dein vero in loco *Aschaffenburg* institutum pro magistris edocendis, ubi altiora studia laudabiliter perfecit. Professionem religiosam exinde nomen sumens Mariae Iulittae emisit et in locum *Obernau* missa est ad magisterium in schola exercendum. Quod tamen officium, morbo superveniente, abdicare debuit et ab omnibus communitatis muneribus dispensari.

In Conventu Beatae Mariae Virginis ab Auxilio Agrifeldensi anno fere transacto, sanitate restituta, Superiores moderationem scholae prope Conventum Dominae Nostrae a Nive in *Lülsfeld* eidem commiserunt. Mense Augusto anno 1910, Serva Dei Herbipolim revocata est, ut magistrae fungeretur munere in schola, quam diximus. Hoc in officio usque ad annum 1940 permansit quo asseclae regiminis Deo infensi nationis dominatum germanicae

illo tempore dictitantes scholam suppresserunt. Tunc Serva Dei mandatum ostiariae assumpsit, quod tempore secundi totius mundi belli et annis post bellum valde onerosum exstitit. Nam, alia pars Domus Generalis a civibus Germanicis in patriam reversis occupata est, alia vero uti subsidiarium valetudinarium castrense destinata. Die 16 mensis Martii anno 1945, quo urbs Herbipolis ignivomis glandibus est concussa, Domus Generalis ipsa diruta est, quam ob rem religiosae in locum Agrifeldam, apud Conventum Beatae Mariae Virginis ab Auxilio, confugerunt, ubi etiam Serva Dei in custodiam ianuae incubuit. Bello composito, ad Domum Generalem rediit, officium suum obsequiose et misericorditer exercens usque ad mortem.

Vita Servae Dei austera ascesi est signata. Etiam tribulationes, quibus infirmae valetudinis causa vexata est, divinae a defectibus revocationi cito attribuit et, ob firmam indolem suam, constantem in cotidianis molestiis superandis se ostendit. Religiosa suffulta fuit mira animi aequitate immensaque fiducia et omnimodo obsequio divinae voluntati, vitae spiritualis profunditate, assidua oratione, diutina contemplatione et actuosa caritate. Munus exercens magistrae, semper iuvenes ad interiorem vitam coram Domino informare curavit, pro maiore Dei gloria minime parcens viribus. Quicumque ei obvius veniebat, verba et solacium ab ipsa suscipiebat. Fide viva et acuta, firma erga Eucharistiam devotione referta, emicuit et spes eius in divina Providentia nec acerbioribus quidem temporibus concidit. Dominum sincero amore coluit ac toto corde, constanti perfectionis desiderio impellente, humili gratoque animo ante mirabilia ab ipso gesta. Caritatem in proximum cotidie operibus et verbis confessa est erga omnes, praesertim erga magis indigentes.

Die 19 mensis Septembris anno 1966, Maria Iulitta embolia pulmonari adeo correpta est, ut medici cordis pulsus imbecillitatem censerent. Post meridiem diei 13 sequentis mensis Novembris deambulare voluit, sed humi procubuit et, sacramento unctionis infirmorum refecta, paulo post Herbipoli pie in Domino quievit.

Ob eius sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Episcopalem Herbipolensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 26 mensis Martii anno 1986 ad diem 13 mensis Iulii anno 1994, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 10 mensis Decembris anno 1999 probatae sunt. *Positione* confecta, die 20 mensis Novembris anno 2010, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei

more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria cui ego, Card. Angelus Amato, praesedi die 6 mensis Decembris anno 2011, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Sigismundi Zimowski, Archiepiscopi-Episcopi emeriti Radomensis, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum esse exsecutam.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Iulittae Ritz (in saec.: Teresiae Eleonorae), Sororis professae e Congregatione Sororum a Redemptore, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2011.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

I

ROMANAE et OSTIENSIS

De finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Em.mus Dominus Augustinus S.R.E. Cardinalis Vallini, Vicarius Generalis dioecesis Romanae necnon Administrator Apostolicus suburbicariae dioecesis Ostiensis, ab Apostolica Sede expostulavit ut memoratarum circumscriptionum ecclesiasticarum fines paulum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, rata huiusmodi immutationem animarum bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Benedicto, divina Providentia PP. XVI, tributarum, audito quoque Em.mo Domino Angelo S.R.E. Cardinali Sodano, Patrum Cardinalium Collegii Decano, necnon Episcopo Titulare Ostiense, oblatas preces accipiendas censuit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, suburbicariae dioecesi Ostiensi partem territorii adnectit ab dioecesi Romana seiunctum, scilicet Paroeciis vulgo nuncupatis « San Carlo da Sezze » et « San Timoteo » in Urbe, necnon « Santa Aurea » in Ostia antiqua, pertinentem.

Cum memorata dioecesi Romana, novi dioecesis Ostiensis erunt fines vulgo sequentes: « Linea di confine della pineta fino a raggiungere Via dei Pescatori - Via dei Pescatori - Via Villa di Plinio - Via del Mediterraneo - Ferrovia Roma-Lido - Via Cristoforo Colombo - Via Canale della Lingua - Via Niceneto - Via Ierocle - linea immaginaria che oltrepassa via Macchia Palocco ed arriva in Via Antonio Discovolo - Via Antonio Discovolo - Via di Saponara - Via Giorgio Hinna - linea immaginaria fino ad incontrare Via del Mare ».

Ad haec supradicta perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Hadrianum Bernardini, Archiepiscopum tit. Faleritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 17 Iulii 2012.

Marcus S.R.E. Card. Ouellet
Praefectus

Mons. Sergius Poitras
Sub-Secretarius adiunctus

Prot. N. 673/2012

II

SANCTISSIMAE TRINITATIS CAVENSIS et AMALPHITANAE-CAVENSIS

De abbatiae territorialis Sanctissimae Trinitatis Cavensis necnon archidioecesis Amalphitanae-Cavensis finium mutatione

DECRETUM

Sanctissimae Trinitatis Cavensis venerabilis Abbatia, anno millesimo decimo primo a Sancto Alpherio Pappacarbone Abbate fundata, qui propter vitae ac morum sanctitatem sibi discipulorum multitudinem attraxit, sub Trinitatis Sanctissimae auspiciis necnon Sancti Patriarchae Benedicti carismate benedicta, ob christianae iuventutis institutionem more maiorum diu exstructa ac mirabilis, tota in provincia inferioris Italiae eminet. Monachi Abbatiae Sanctissimae Trinitatis Cavensis, praeter impensam religiosam vitam intra monasterii moenia, in bonum fidelium propinquarum paroeciarum ministerium per saecula laudabiliter expleverunt.

Attentis tamen peculiaribus huius temporis adiunctis, ad hanc venerabilem monasticam institutionem proprio in suo spiritu tuendam atque ut monachi, quacumque alia sollicitudine ablata, ad intimam cum Deo unionem augendam et ad divinam laudem persolvendam se integre dicare possint, Summus Pontifex Benedictus, Divina Providentia PP. XVI, eiusdem prae laudatae Abbatiae fines noviter definiendos statuit.

Quapropter, audito Congregationis Casinensis O.S.B. Abbate Praeside aliisque quorum interest, praehabito favorabili voto Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Congregatio pro Episcopis praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur mandat ac decernit:

1. territorium Abbatiae territorialis Sanctissimae Trinitatis Cavensis posthac constituitur ab Ecclesia Cathedrali Sanctissimae Trinitatis ac coenobio ea adnexo in municipio « Frazione di Corpo di Cava (SA) »;

2. ad Abbatiam territorialem Sanctissimae Trinitatis Cavensis pertinebunt tantummodo sodales eiusdem domus monasticae (monachi, novitii atque postulantes);

3. archidioecesi Amalphitanae-Cavensi tres uniuntur Paroeciae vulgo nuncupatae: « San Cesareo » in municipio « Cava de' Tirreni, Frazione di San Cesareo, (SA) »; « Santa Maria Maggiore » in municipio « Cava de' Tirreni, Frazione di Corpo di Cava, (SA) »; « SS. Pietro e Paolo » in municipio « Vietri Sul Mare, Frazione di Dragonea, (SA) ». Statuit quoque ut, una cum territorio illarum paroeciarum, ecclesiae, oratoria, domus, piae fundationes et quacumque alia ecclesiastica bona et iura ad easdem paroecias pertinentia praefatae archidioecesi adnectantur;

4. simul ac Abbatiae territorialis Sanctissimae Trinitatis Cavensis nova territorii definitio ad effectum deducta fuerit, dioecesani clerici dictae Abbatiae archidioecesi Amalphitanae-Cavensi incardinentur seminariique tirones in eadem censeantur adscripti.

Ad haec omnia perficienda idem Summus Pontifex Exc.mum P.D. Adrianum Bernardini, Archiepiscopum titulo Faleritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, deputare dignatus est, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 20 mensis Augusti anni 2012.

MARCUS S.R.E. Card. OUELLET
Praefectus

✠ LAURENTIUS BALDISSERI
Archiep. tit. Diocletianensis
a Secretis

Prot. N. 1003/2006

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 7 Iunii 2012. — Cathedrali Ecclesiae Iuiuyensi, Exc.mum P. D. Caesarem Danielem Fernández, hactenus Episcopum titularem Caltadriensem et Auxiliarem Paranensem.

die 14 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Goritanae, R. D. Danielem Miehm, e clero archidioecesis Hamiltonensis, ibique Curionem paroeciae «Sancti Benedicti» in civitate vulgo Milton, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 8 Ianuarii 2013. — Cathedrali Ecclesiae Camdensi, Exc.mum P. D. Dionysium Iosephum Sullivan, hactenus Episcopum titularem Enerensem et Auxiliarem archidioecesis Neo-Eboracensis.

die 10 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Limericiensi, R. D. Brendanum Leahy, e clero dioecesis Dublinensis, hactenus Sacrae Theologiae Magistrum apud Collegium Sancti Patricii in civitate vulgo Maynooth.

— Ecclesiae Cruciensi, Exc.mum P. D. Ansgarium Cantú, hactenus Episcopum titularem Dardanium et Auxiliarem archidioecesis Sancti Antonii.

die 12 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Rivibambensi, Exc.mum P. D. Iulium Parrilla Díaz, hactenus Episcopum Loianum.

die 18 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Dresdensi-Misnensi, Exc.mum P. D. Henricum Koch, hactenus Episcopum titularem Rosgrensem et Auxiliarem archidioecesis Coloniensis.

— Coadiutorem Metropolitanae Ecclesiae Armachanae, R. D. Edmundum Martin, e clero dioecesis Derriensis, ibique Administratorem dioecesanum.

die 19 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Othanensi, R. D. Petrum Sawczuk e clero Siedlecensi, ibique Vicarium Generalem et Curiae dioecesis Cancellarium, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 22 Ianuarii 2013. — Episcopali Ecclesiae Soranae-Aquinatensi-Pontiscurvi, R. D. Gerardum Antonazzo, e clero dioecesis Uxentinae-Sanctae Mariae Leucadensis, hactenus Vicarium Generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Bathurstensi in Canada, R. D. Danielem Jodoin, e clero dioecesis Sherbrookensis, ibique Curionem paroeciae « Boni Pastoris » et dioecesani officii clericorum Moderatorem atque Seminarii Rectorem.

die 25 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Pauli in Insulis Philippinis, Exc.mum P. D. Bonaventuram M. Famadico, hactenus Episcopum Gumacanum.

die 26 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Cholutecensi, R. D. Vidonem Charbonneau, P.M.E., hactenus Superiorem Generalem Societatis pro missionibus exteris Provinciae Quebecensis.

die 29 Ianuarii. — Metropolitanas Ecclesiae Portlandensi in Oregon, Exc.mum P. D. Alexandrum King Sample, hactenus Episcopum Marquettensem.

die 30 Ianuarii. — Cattedrali Ecclesiae Quibduanae, R. D. Ioannem Carolum Barreto Barreto, e clero dioecesis Espinalensis, ibique Seminarii Maioris Rectorem.

die 31 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Pontisarensi, Exc.mum P. D. Stanislaum Lalanne, hactenus Episcopum dioecesis Constantiensis.

ACTA TRIBUNALIUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

DECRETUM

Speciales conceduntur Indulgentiae christifidelibus occasione XXI Mundialis Infirmorum Diei

Per sanctam crucem Iesu Christi facta est Redemptio, hoc est per eius passionem. Domini verum redemptoris doloris participes esse possunt omnes humani dolores. Nam dixit sanctus Paulus Apostolus: «Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia».[1]

Hoc autem Fidei Anno, verae Fidei profitendae eidemque recte interpretandae peculiari ratione sacro, luminosam memorare iuvat Concilii Vaticani II doctrinam de Christiana doloris significatione eiusque inter fratres condivisione: «Cum caritatis et misericordiae opera praeclarissimum testimonium christianae vitae efferant, formatio apostolica ad haec quoque exercenda adducere debet, ut discant christifideles ab ipsa pueritia fratribus compati eiusque indigentibus generoso animo subvenire».[2]

Quamobrem, annuam Mundialis Infirmorum Diei celebrationem, vertente anno peragendam magno cum apparatu, percupiens fieri veluti efficacem catechesim circa salvifici doloris significationem, et magis movere omnes qui sunt, quolibet titulo, dediti in servitium fratrum animo et corpore laborantium, Beatissimus Pater XXI Mundialis Infirmorum Diei, a die VII usque ad diem XI proximi mensis Februarii celebrandae, uti propositum elegit Bonum Samaritanum: «Vade et tu fac similiter»,[3] quod docet «benefacere

[1] *Col* 1, 24.
[2] Decr. *Apostolicam actuositatem*, 31 c.
[3] *Lc* 10, 37.

ope doloris atque benefacere ei qui dolet».[4] In liturgica Beatae Mariae Virginis Lapurdensis memoria, qua claudetur ipsa Dies, Excellentissimus Dominus Sigismundus Zimowski, Praeses Pontificii Consilii pro Valetudinis Administris, velut Missus Summi Pontificis Extraordinarius, in Mariano Ottingensi Sanctuario, dioecesis Passaviensis, sollemni praesidebit celebrationi eucharisticae, cum sacramenti Unctionis infirmorum administratione.

Quo autem christifideles animo ad ilium eventum melius disponantur, Benedictus XVI, in Audientia die XVIII vertentis mensis Ianuarii infrascriptis Cardinali Paenitentiario Maiori et Regenti huius Paenitentiariae Apostolicae concessa, benigne dilargiri annuit Indulgentiarum donum, iuxta sequentem indicem, dummodo, vere paenitentes et caritate compulsi, Boni Samaritani exemplo, spiritu Fidei ducti in servitium fratrum laborantium se ipsos misericordi animo impenderint et contra, si infirmi, dolores et vitae aerumnas toleraverint, animum ad Deum humili fiducia erigentes apertumque Fidei testimonium exhibentes per viam Evangelii doloris:

A. *Indulgentiam plenariam*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis), christifidelibus vere paenitentibus et contritis semel in die obtinendam, quam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare poterunt, quoties a die VII usque ad diem XI proximi mensis Februarii, in Mariano Ottingensi Sanctuario vel in quocumque alio loco, ab ecclesiastica auctoritate determinato, sacris devote interfuerint ritibus, ad Mundialis Infirmorum Diei fines a Deo impetrandos peractis, et Orationem Dominicam et Symbolum Fidei recitaverint, addita pia aliqua Mariana Invocatione.

Christifideles vero qui, vel in publicis nosocomiis vel in quavis privata domo, ut Bonus Samaritanus aegrotantium misericordi sollicitudine curam agunt et huiusmodi muneris explendi causa supradictis sacris ritibus interesse nequeunt, eisdem diebus plenariae Indulgentiae donum consequentur, si illud caritatis servitium, veluti ipsi Christo Domino persolutum,[5] generose saltem per aliquot horas expleverint et Orationem Dominicam, Symbolum Fidei et piam aliquam Marianam Invocationem recitaverint, eadem animi dispositione habita et proposito concepto, cum primum poterunt, perficiendi condiciones ad Indulgentiam plenariam obtinendam requisitas.

[4] Ep. apost. *Salvifici doloris*, 30.
[5] Cfr *Mt* 25, 40.

Christifideles denique qui infirmitate, senectute vel alia huiusmodi causa, impediuntur quominus ritibus ut supra celebrandis interesse possint, Indulgentiam plenariam consequentur, si, elongato animo a quocumque peccato et concepto proposito suetas condiciones, cum primum eis possibile erit, adimplendi, illis diebus sese in spiritu dictis functionibus iunxerint, praesertim dum liturgicae celebrationes et Summi Pontificis Nuntius instrumentis televisificis et radiophonicis propagabuntur, pro omnibus infirmis pie oraverint et sui corporis infirmitates animique aegritudines Deo per Deiparam Virginem Mariam, «Salutem infirmorum» invocatam, obtulerint.

B. *Indulgentiam partialem* omnibus christifidelibus toties, corde saltem contrito, quoties sociato animo cum spiritalibus Fidei Anni finibus, adiutorium infirmorum implorantes devotas Misericordi Deo preces diebus supra signatis fuderint.

Praesenti pro hac vice valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXV mensis Ianuarii, anno Domini MMXIII, in sollemnitate Conversionis sancti Pauli Apostoli, qua clauditur octiduum supplicationum pro Christianorum unitate.

EMMANUEL S.R.E. Card. MONTEIRO DE CASTRO
Paenitentiarius Maior

CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens

L. + S.
In P.A. tab., N. 5/13/I

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 10 gennaio, S. E. la Signora Slavica Karačić, Ambasciatore di Bosnia ed Erzegovina.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Sabato 12 gennaio, Sua Altezza Serenissima il Principe Alberto II di Monaco, con Sua Altezza Serenissima la Principessa Charlène;

Martedì, 22 gennaio, S. E. il Signor Nguyên Phu Trong, Segretario Generale del Comitato Centrale del Partito Comunista del Viêt Nam.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

5 gennaio 2013 S.E.R. Mons. Nicolas Henry Marie Denis Thevenin, Arcivescovo titolare eletto di Eclano, *Nunzio Apostolico in Guatemala.*

» » » S.E.R. Mons. Jean-Paul Gobel, Arcivescovo titolare di Galazia in Campania, finora Nunzio Apostolico in Iran, *Nunzio Apostolico nella Repubblica Araba d'Egitto* e *Delegato presso l'Organizzazione della Lega degli Stati Arabi.*

16 » » S.E.R. Mons. Joseph Marino, Arcivescovo titolare di Natchitoches, finora Nunzio Apostolico in Bangladesh, *Nunzio Apostolico in Malaysia* e *in Timor Orientale* e *Delegato Apostolico in Brunei.*

17 » » S.E.R. Mons. Charles Daniel Balvo, Arcivescovo titolare di Castello, finora Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, Isole Cook, Fiji, Isole Marshall, Kiribati, Nauru, Palau, Samoa, Stati Federati di Micronesia, Tonga, Vanuatu e Delegato Apostolico nell'Oceano Pacifico, *Nunzio Apostolico in Kenya* ed *Osservatore Permanente presso gli Organismi delle Nazioni Unite per l'Ambiente e gli Insediamenti Umani (U.N.E.P., UN-Habitat).*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

5 dicembre 2012 Gli Ill.mi Signori: Prof. Mario Botta, Prof.ssa Maria Antonietta Crippa e Prof. Lorenzo Bartolini Salimbeni per la Classe degli Architetti; Pedro Cano per la Classe dei Pittori e Cineasti; Giuseppe Ducrot, Mimmo Paladino e Ugo Riva per la Classe degli Scultori; Laura Bosio, Luca Doninelli e Vincenzo Cerami per la Classe dei Letterati e Poeti, *Membri Ordinari della Pontificia Insigne Accademia di Belle Arti e Lettere dei Virtuosi al Pantheon.*

14 gennaio 2013 Il Rev.do Mons. Leonardo Sapienza, Reggente della Prefettura della Casa Pontificia, *annoverato al Collegio dei Protonotari Apostolici di Numero Partecipanti.*

15 » » L'Ecc.mo Mons. Lucio Andrice Muandula, Vescovo di Xai-Xai, Presidente della Conferenza Episcopale del Mozambico, *Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per*

i Migranti e gli Itineranti «ad quinquennium»; l'Ill.mo Prof. Marco Impagliazzo, Docente Ordinario di Storia contemporanea presso l'Università per Stranieri di Perugia, Presidente della Comunità di Sant'Egidio, *Consultore del medesimo Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti «ad quinquennium»*; e l'Ecc.mo Mons. Jean-Louis Bruguès, Archivista e Bibliotecario di Santa Romana Chiesa, *Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti «in aliud quinquennium»*.

15 gennaio 2013 L'Em.mo Signor Cardinale John Olorunfemi Onaiyekan, Arcivescovo di Abuja, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede.*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Boutros Raï, Patriarca di Antiochia dei Maroniti; Baselios Cleemis Thottunkal, Arcivescovo Maggiore di Trivandrum dei Siro-Malankaresi, *Membri della Congregazione per le Chiese Orientali.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Rubén Salazar Gómez, Arcivescovo di Bogotá, *Membro della Pontificia Commissione per l'America Latina.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale James Michael Harvey, Arciprete della Basilica Papale di San Paolo fuori le mura, *Membro della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Béchara Boutros Raï, Patriarca di Antiochia dei Maroniti, *Membro del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali John Olorunfemi Onaiyekan, Arcivescovo di Abuja; Luis Antonio G. Tagle, Arcivescovo di Manila, *Membri del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Famiglia.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Rubén Salazar Gómez, Arcivescovo di Bogotá, *Membro del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace.*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Béchara Boutros Raï, Patriarca di Antiochia dei Maroniti; Luis Antonio G. Tagle, Arcivescovo di Manila, *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Baselios Cleemis Thottunkal, Arcivescovo Maggiore di Trivandrum dei Siro-Malankaresi, *Membro del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso.*

15 gennaio 2013 L'Em.mo Signor Cardinale Béchara Boutros Raï, Patriarca di Antiochia dei Maroniti, *Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali.*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale James Michael Harvey, Arciprete della Basilica Papale di San Paolo fuori le mura, *Membro dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

16 » » L'Em.mo Signor Cardinale Domenico Calcagno, Presidente dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, *Membro della Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto per le Opere di Religione*; gli Em.mi Signori Cardinali Tarcisio Bertone, Telesphore Placidus Toppo, Odilo Pedro Scherer e Jean-Louis Tauran, *confermati Membri della medesima Commissione Cardinalizia.*

19 » » L'Ecc.mo Mons. Francesco Gioia, Arcivescovo emerito di Camerino-San Severino Marche, Delegato Pontificio per la Basilica di Sant'Antonio in Padova, *Presidente della « Peregrinatio ad Petri Sedem » « per un triennio ».*

22 » » Il Rev.do Mons. Dario Edoardo Viganò, del Clero dell'Arcidiocesi di Milano, docente presso l'Istituto Pastorale « Redemptor hominis » della Pontificia Università Lateranense, *Direttore del Centro Televisivo Vaticano e Segretario del Consiglio d'Amministrazione del medesimo Centro Televisivo Vaticano*; l'Ecc.mo Mons. Claudio Maria Celli, Presidente del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali, *Presidente del Consiglio di Amministrazione del Centro Televisivo Vaticano « per un altro triennio »*; i Rev.di Mons.: Massimo Boarotto, Carlo Maria Polvani, Guido Todeschini; Don Franco Lever, S.D.B., e l'Ill.mo Prof. Gianpiero Gamaleri, *Membri dello stesso Consiglio di Amministrazione « per un altro triennio »*; gli Ill.mi Avv. Giacomo Ghisani, responsabile dell'Ufficio Giuridico e delle Relazioni internazionali della Radio Vaticana, e Dott. Antonio Preziosi, Direttore del Giornale Radio RAI, *Membri del medesimo Consiglio « per un altro triennio ».*

» » » Il Dott. Angelo Scelzo, finora Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali, *Vice Direttore della Sala Stampa della Santa Sede per gli accrediti giornalistici fino al compimento del settantesimo anno di età.*

23 » » L'Em.mo Signor Cardinale Jorge Mario Bergoglio, Arcivescovo di Buenos Aires (Argentina); l'Ecc.mo Mons. Emilio Carlos Berlie Belaunzarán, Arcivescovo di Yucatán (Messico), *Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina.*

26 gennaio 2013 Il Rev.do Sac. Rafael García de la Serrana Villalobos, del Clero della Prelatura personale dell'Opus Dei, *Vice Direttore della Direzione dei Servizi Tecnici del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium »*.

28 » » L'Ecc.mo Mons. Giuseppe Sciacca, Vescovo tit. di Fondi, Segretario Generale del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, *Uditore Generale della Camera Apostolica*.

30 gennaio 2013 Si rende noto che è stato nominato *per un triennio Promotore di Giustizia Aggiunto presso il Tribunale dello Stato della Città del Vaticano*, l'Illustrissimo Prof. Avv. Gian Piero Milano.

NECROLOGIO

5	gennaio	2013	Mons. Joseph Plourde, Arcivescovo em. di Ottawa (*Canada*).
12	»	»	Mons. John Matin Darko, Vescovo em. Takoradi (*Ghana*).
14	»	»	Mons. Michel Pollien, Vescovo tit. di Pulcheriopoli e Vescovo Ausiliare di Parigi (*Francia*).
23	»	»	Sua Em.za il Card. Józef Glemp, del Titolo di S. Maria in Trastevere.
»	»	»	Mons. Jean Vilnet, Vescovo em. di Lille (*Francia*).
29	»	»	Mons. Reinhold Stecher, Vescovo em. di Innsbruck (*Austria*).
31	»	»	Mons. Joseph Cassidy, Arcivescovo em. di Tuam (*Irlanda*).
»	»	»	Mons. Giacôbê Nguyên Văn Mâu, Vescovo em. di Vinh Long (*Viet Nam*).